

















1673.

1. Rachelius, Samuel : De jure arbitrario in genere.
2. Keyherus, Samuel : De expugnationibus.
3. Wedder Kopp, Magnus : De infamia.

1674

1. Martini, Nicolaus : De successione principum, aliarumque personarum illustrium pactitia et anomala, quae fit per compromissum.
2. Martini, Nicolaus : De praesudiciis.
3. Rachelius, Samuel : De revisionibus.

1675.

1. Fuchs, Johannes : De solennitate appellationis tractatus. Rec. 1705
2. Martini, Nicolaus : De rege temporario
3. it Rachelius, Samuel : De captulatione regis Germanici  
2 Exempl. 1675 & 1725



1675

4. Rachelius, Samuel: De jurisprudentia.
5. Schulze, Bernhard: De jure retractus lineari  
sen gentilitio.

1677.

1. Kuehnenanus; David: De beneficio competentiae

Dec. 1695

2. Martini, Nicolaus: Decas controversarum juris  
positivum.
3. Schulze, Bernhard: De conditione in debiti.



DISPUTATIONEM JURIDICAM

JURE ARBITRARIO

IN GENERE,

Q. M. A.

PRÆSIDI

SAMUELE RACHELIO, J. U. D.

Juris Naturæ & Gentium in Illustri Hollæ-

torum Academia P. P.

Examinandato publicè exhibet

CHRISTIANUS von ETZBERG

Hollætoris,

RESPONDENS,

die 26. Februar.

In Auditorio Majori.



SEONI,

Litho Joh. ...

ANNO 1807.





675

Ch. ...  
...  
...

677

...  
...  
...  
...  
...





15025

1673 / 1

DISPUTATIONEM JURIDICAM  
DE  
**JURE ARBITRARIO**  
IN GENERE, 8.

D. O. M. A.  
PRÆSIDE  
**SAMUELE RACHELIO, J. U. D.**  
Juris Naturæ & Gentium in Illustri Hofsa-  
torum Academia P. P.

Examinandam publicè exhibet  
**CHRISTIANUS von EZZEN/**  
Hofsatus,  
RESPONDENS,  
*a. d. 26. Februar.*  
In Auditorio Majori.



**KILONI,**  
Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXIII.  
8.







ILLUSTRISSIMO  
DOMINO.

DN. DETHLEVO  
COMITI in RANTZOW,

DYNASTÆ in BREITENBURG &c.  
ORDINIS ELEPHANTINI EQVITI. SACR.  
REG. MAJ. DANIÆ NORVEGIÆ &c. CON-  
SILIARIO INTIMO, CAMERÆ PRÆFE-  
CTO, VICE-PRODUCI DUCATUUM  
SCHLESWICI & HOLSATIÆ, CONSILIA-  
RIO PROVINCIALI atquè SUPREMO  
EQVITUM PRÆFECTO,

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO*

FELICITATEM PERPETUAM!



# ILLUSTRISSIME COMES

**N**on adeò mihi blandior, ut exiguò  
hoc munere vel ILLUSTRISSIMÆ TUÆ  
EXCELLENTIÆ eblandiri favorem, vel  
officium implere me posse, confidam: Præsentio  
jam nonnullorum vovulas, quæ & summæ dignitatis  
TUÆ & modestiæ meæ me oblitum tam temerariò  
consiliò existiment. Quibus tantùm abest, ut refra-  
gari ita sentientibus velim, ut potius apud TE, IL-  
LUSTRISSIME COMES, ipsum memet in judi-  
cium adducam. Quanquàm spes me alat certissima,  
fore, ut vel TUO ipsius patrociniò, si causas expo-  
suerò, absolvar. Etenim, cum in memoriam mihi  
revoco, quò prægloriosissimus Parens TUUS Paren-  
tem meum favore, quâ clementiâ profecutus fuerit,  
quæ in illum beneficia contulerit, quàm comiter ha-  
buerit semper, non is tantùm eò TIBI nomine HE-  
ROIS TANTI FILIO obstrictus est, sed & illius  
ego filius in humillimorum officiorum partem jure  
quò.



quôdam mihi videor admittendus, quæ tenui hoc quidem munusculô, sed si ex animo æstimaveris, magno, testificari TIBI ILLUSTRISSE DOMINE in animum induxi; Nam cum de benignitate clementiâque TUA, quam deprædicant omnes, dubitare piaculi locô habeam, sepositô omni pudore, hoc, quicquid est, de Jure Arbitrario ac me ipsum TVI esse arbitrii volui.

Excipe itaque serenâ fronte, quod TIBI offero, CLEMENTISSE DOMINE & favore TUO prosequere hominem, qui in TUA obsequia omni conatu spiritum contendit, quæ adversus TE Illustrissimamque TUAM familiam, hæreditaria esse cupit atque æterna.


Vive HEROS ILLUSTRISSE in patriæ TVÆ ornamentum, familiæ incrementum, & virtutibus avitis, quæ in TE publico bono spiritum ducunt, usque major, seculo exemplum TIBI largire immortalitatem.

ILLUSTRISSE NOMI-  
NIS TUI

*Cultor humillimus*

Christian Von Eigen.





## DE JURE ARBITRARIO INGENERE.

### I.



Us omne Civile, hoc est, quo Civitas utitur, rectè Philosophus dividit in φυσικόν, *Naturale*, & νομικόν, *Legitimum, Voluntarium, Arbitrarium, Positivum*. His enim ferè vocabulis posterior Juris species Latinis Scriptoribus insigniri solet, iisque promiscuè illi utuntur. Ubi notandum, quod sicuti Græcis νόμος quandoque speciatim significat sanctionem legemque arbitrariam, 1. *Nicom.* 3. §. 3. Ita τὸ δίκαιον νομικόν Jus omne arbitrarium, à placito & arbitrio hominum ortum habens, adeoque Juri Naturæ contradistinctum, complectitur. Quod vero hæc Divisio rectè se habeat, à nobis aliàs demonstratum fuit, & Soto pluribus explicat *lib. 3. de Just. & Jur. qv. 1. art. 2.* eamque rectè præponit vulgatæ Juris divisioni, *ex l. 1. ff. de J. & J. §. 4. Inst. de J. & J.* petitæ: quod hæc regulis Dialecticis minimè respondeat, Aristotelica autem illa iis ex asse conveniat.

II. Cum itaque Aristoteles Jus Naturale 5. *Nicom.* 7. §. 2. definivisset, quod ubique gentium eandem vim obtinet, addit καὶ τῶ δοκεῖν, ἢ μὴ, non quod ita visum decretumque sit, vel non decretum: quibus verbis innuit, quod Jura, quæ hoc modo sint orta & constituta, profecta scilicet ab arbitrio

A

trio



trio & placito hominum, sint alius generis, neque illa Naturæ accepta ferenda esse. Hinc ita pergit: νομικὸν δὲ, ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἄθεν διαφέρει, ἢ τῶς ἢ ἄλλως. ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει: *Legisimum autem, quod ab initio hoc an illo modo fiat, nihil refert: cum vero constitutum fuerit, tunc demum refert.* Atque hæc ipsa mox illustrat exemplis, & ejusdem generis alia addit: *Quale, inquit, est illud, Mina captivum redimere: aut illud, Capra Jovi sacrificare, non ovis. Præterea leges omnes, quas de rebus singularibus ferunt, ut Brasida sacra facere. Et quæcunque à populis scita & decreta sunt.* Post quædam interjecta ita pergit §. II. seqq. *Jam vero quæ Jura ex consensu & utilitate hominum (κατὰ συνθήκην καὶ τὸ συμφέρον) nata sunt, ea mensuris similia sunt. Neque enim omnibus in locis sunt æquales vini triticique mensuræ: sed iis in locis, ubi emunt, quæ illic nata, ut aliò exportentur, majores: apud illos, ubi ea revendunt, minores. Itemque, Jura non naturalia, sed humana, non sunt omnibus locis eadem. Nam ne Reip. quidem regendæ forma una & eadem est apud omnes; & si una duntaxat ubique locorum consentanea naturæ est, ea videlicet, quæ optima. Hæc ille.*

III. Quibus verbis ut natura Juris Arbitrarii egregiè exhibetur, ita distinctè illa percensebimus. Origo igitur ejus referenda est ad placitum & voluntatem Legislatoris, quæ pro re nata ad tale jus constituendum liberè excitatur, sicut mutata utilitate & ratione alia suborta mutari id ipsum possit. Imò licet omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eadem maneant, nihilominus hoc jus Legislatori mutare licet. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 2. dub. 2.* Quippe Jus Naturæ est, quod sua vi & per se valet, non autem, quod sic aut aliter visum sit statuenti. Providentia enim divina secundum ideam Legis Æternæ illud



Iud jus condidit & promulgavit, adeoque à natura Justitiæ divinæ, quæ immutabilis est, recedere hautquaquam potuit. Cum vero plurima sint negotia, plurimæque circa illa possint existere actiones humanæ, quibus Natura nullam Juris formulam præscripsit, sed arbitrio Legislatorum eadem permisit; Illi, si è re societatis aut civitatis hoc fore crediderint, etiam illa ἀδιάφορα juris regula circumscribere possunt; quod sicut Deus arbitrio Legislatorum permisit, ita quoq; illorū Arbitrarium jus ratum habet: atque tum quæ Jure Naturæ olim erant ἀδιάφορα, lege positiva lata desinunt esse talia, & sub necessitate & obligatione legis voluntariæ vel ad agenda talia, vel fugienda erunt subditi adstricti. Memorabili id ipsum exemplo illustrare voluit Michaël Ephesius ad d. c. 7. *Arist. Fratrem*, inquit, *cum sorore concumbere, cum à principio esset indifferens, posita lege, ne id fieret, multùm referre postea apud omnes videtur.* Quam quæstionem non hic pluribus examinabimus, ne extra oleas vagemur. Videatur interim *l. ult. ff. de rit. nupt.* & Grotius *de j. B. P. c. 5. §. 13.*

IV. Inquirunt alii ultra, quo modo sanctio Juris arbitrarii perficiatur: eumque nonnulli faciunt duplicem, quod id fiat vel per modum Conclusionis, vel per modum Determinationis. Cum enim Juris naturalis maxima sit autoritas, ut nefas sit hominibus, contraria Juri naturæ placita obtrudere, aut isti quidquam his detrahere; ideo putant, Jura arbitraria debere esse Juri naturæ ubique consentanea. Sed hæc loquendi ratio non vacat ambiguitate ἀμφιβολίας. Nam non solum sunt Juri naturæ consentaneæ illæ leges, quæ ex principiis Juris naturalis per genuinam concludendi rationem & λογισμὸν sunt derivatæ; sed & omnes aliæ, quæ à Jure naturæ diversum  
A 2 san-



fanciunt, modò ne quid adversi & contrarij contineant, aut involuant. Nam in universum aliæ sunt secundum Jus Naturæ, aliæ præter illud, alia contra illud conceptæ Leges. Illas igitur Leges quod attinet, quæ sunt Conclusiones ex principiis Juris Naturalis collectæ, sunt & ipsæ Leges Naturales, ut quæ partim principiis, partim conclusionibus constant, ceu aliàs ostensum fuit. Hinc bene Thomas lect. 12. ad 5. Nicom. *Necesse est, quod quicquid ex justo naturali sequitur quasi Conclusio, sit Justum Naturale.*

V. Superest ergo, ut leges arbitrariæ sciscantur non nisi per modum Determinationis, quo Jus Naturæ non item uti volunt. Apparet ergo neque hujus vocis notionem idem omnibus significare. Quando igitur Legislator dicitur lege lata determinare actiones humanas, nihil hoc est aliud, quàm formulam juris iis præscribere, ad cujus amissim illæ sint examinandæ & conformandæ. Jam vero multas actiones eo modo quoque legibus suis determinat Natura. Cæterum cum illæ naturales leges formula sæpe juris generali solùm actiones determinent, neque ad omnia singularia, aut casus singulares illarum obligatio se extendat; integrum est Legislatoribus hæc singularia, Juris naturalis obligatione non comprehensa, lege aliqua arbitraria determinare. Jus igitur arbitrarium vel ea determinat, quæ planè Juri naturali sunt intacta, quæq; illud sicut simpliciter inter permissa esse: vel determinat ea, quæ sub generali quidem Juris naturalis obligatione, ad singulas circumstantias & specialia facti momenta non tamen pertinente, Natura comprehensa esse voluit. Ita furem mereri pænam, Juris naturalis dictatum est: at sit ne multa dupli vel quadrupli, aut servitio publico, aut suspendio, aut fustigatione puniendus, à Jure arbitrario, quod



quod moderatur Prudentia Legislatoria, determinatur.

VI. Præterea bene notat Thomas d. l. quod Legislatores homines, prout prudentia Nomothetica fuerint instructi, aut recte usi, nec ne, suis legum placitis actiones subditorum quandoque determinent cum permixtione erroris, aliàs vero sine ejusmodi permixtione: utrumque exemplis Philosophi illustrans. Ita, inquit, naturaliter justum est, quod Civi absque sua culpa oppresso sit subveniendum, atque adeò ut captivus civis ille redimatur; at quanto pretio redimi debeat, voluntate humana determinatur, quæ si ullo modo æquitatis sit observans, nihil ea in re errat, putà, si captivus minâ redimatur. Est quoque naturaliter justum, ut bene meritis de civitate honor exhibeatur: at Brasidæ aliive homini ut divinus honor exhibeatur, ei sacrificando & immolando, magnum errorem habet. Non jam scrupulosè inquiram, qualis sit ille Error, Vincibilis, an Invincibilis, sitne adfectatus, nec ne; hoc unum præcipuè tamen investigari meretur, quo loco sint putandæ illæ leges humanæ, quæ Juri naturæ repugnant & contraria constituunt.

VII. Vulgò quidem dici solet, etiam Legem malam esse legem, hoc est, vim obligandi habere. Mihi secus videtur, modo homonymia fuerit sublata. Si enim illa Lex audit Mala, quæ fortè aliquid habeat incommodi, quæ non satis prudenter sit lata, imò quæ imprudenter sit lata hæctenus, quod fortè momentaneum utile placuerit, aut quod vana falsaque specie utilitatis sibi imponi passus fuerit Legislator; illa certè Lex vim & auctoritatem obligandi habet, quamdiu ita velle Legislator cognitus fuerit. At si Lex moraliter & propriè fuerit mala, hoc est, Juri naturæ & honestati inimica & adversa, illam Legem esse



esse, hoc est, vim obligandi habere nego. Si enim Deus etiam per absolutam potentiam Juri naturæ suæq; justitiæ adversa constituere nequit; quî Hominibus tanta auctoritas tribui queat, quorum potestas neque ita est absoluta, & in Jura Naturæ & Justitiæ Divinæ æterna decreta abolenda prorsus nulla? Deum vero tale quid non posse, facile constat ex absurdo consequenti, quod sibi met Deus esset adversaturus, suæq; Justitiæ quidquam detracturus: quo posito, de Deo id diceretur, per quod Deus esse desineret. Bene itaque sentit *Wesembecius in ff. Parat. de Legib. n. 5.* post Ciceronem: operam dandam esse Legislatori, ut leges suas arbitrarias regulæ summæ & æternæ Legis conformet, hoc est, ut nihil sanciat, quod illi & juri- bus naturæ sit contrarium: quam sententiam confirmat ibi *Bachovius*: qui etiam alibi *ad Wesemb. parat. de J. & J. n. 17.* ait, quod talia potestatem Legislatoris excedant. Sed de potestate ac Prudentia nomothetica, nec non de ipsis Legibus alibi erit dicendi locus. Videatur interim *Conringius Diss. de Legib. th. 32.*

VIII. De Obligatione Juris Arbitrarii videamus. Illa primordium suum capit à placito & voluntate Legislatoris, in iis rebus seu actionibus, quæ Jure Naturæ determinatæ non sunt. Unde hoc Jus supra ab Aristotele ita describi intelleximus, *quod ab initio hoc an illo modo fiat, nihil refert.* Sequitur ergò, hujus Juris auctoritate nihil opus esse in iis rebus, quæ à Jure Naturæ determinatæ, & quatenus certa vivendi norma ab eo circumscriptæ sunt, neque in his aliter quid, quo quidem vis fieri Juri naturæ, idq; mutari videatur, per illud constitui posse. Nam ut vel in adiaphoris similibusq; rebus hanc obligandi auctoritatem lege lata habeat Legislator, præcipuè hoc debet divi-  
næ



nã Providentiã, quã certo ordine Societates regi vult, ut  
 alii imperent, alii pareant; quandoquidem absque tali or-  
 dine societas nulla consistere potest. *Nihil, inquit Cice-  
 ro de Amic. Deo in rebus humanis est gratius, quã homines  
 habere inter se societatem ordinatam ac perfectam.* Quã Provi-  
 dentia cum sit Legumatrix Jurium naturaliũ, & simul Ho-  
 minem voluerit esse naturã ζῶον πολιτικόν, *animal civile*, ea-  
 dem Civitatis hunc voluit esse ordinem, ut unus pluresve  
 (quod hominum arbitrio relictum est) summi imperii jure  
 reliquã multitudini præ sint, eosq; legibus in officio conti-  
 neant: absque quo si fuerit, nec Civitas nec Respublica  
 esse aut consistere potest. Est enim Respublica τάξις, *Ordo*.  
 Illa τάξις occupata est circa τὸ κύριον, τὴν κυριωτάτην ἀρχήν,  
*Summum Imperium*, ejusq; singulas partes, inter quas vel  
 præcipua est Potestas Nomothetica. Atque hinc sapien-  
 ter Demosthenes dixit, omnem Legem esse σύρρημα καὶ  
 δῶρον θεῶν, *inventum ac munus Dei*: quod etiam Marcia-  
 no placuit *l. 2. ff. de legib.* Quod igitur Legislatores hanc  
 obligandi potestatem habent, Providentiã Divinã debent,  
 cujus hoc est præceptum Juris Naturæ, Majestati Civili, &  
 Magistratibus ab ista constitutis, obedientiam esse præstan-  
 dam. Nam quæcunque tandem sit Obligatio, cujuscun-  
 que Juris, ejus autoritas primò & præcipuè apta est à Deo,  
 Justitiæ ac Fidei fonte & Autore Optimo Maximo: quod  
 ipsum in Prolegomenis meis ad Officia Ciceronis, post Sel-  
 denum, evidenter ostendi. Proinde si quid Legislator  
 sciscere & sancire velit, quod Deo & Juribus Naturæ sit  
 contrarium, frustra est, & incassum laborat, subducente  
 suam autoritatem Deo: qua subtracta collabascere huma-  
 nam autoritatem necesse est, sic ut ad contrarium homines  
 sint obligati Jure naturæ, si huic contrarium sciverit im-  
 pius Legislator homo.

IX. Si



IX. Si ergo Legislator homo rectè se gesserit in sua nomothesia, atque illa vel imperet, vel vetet, quæ Deo probantur, vel saltem non improbantur, quæq; adeò in intercessione Juris Naturalis non rescinduntur, aut irrita redduntur; huic Juri arbitrario non minùs est obedientia præstanda, quam Juri Naturali: id quod rationes modò allatæ satis evincunt, solidissimum fundamentum & parendi necessitatem substernente Providentia omni Juri arbitrario, eaq; ratione societates cum alias, tum imprimis civilem continente ac conservante: quod ipsum præclarè explicat Apostolus *cap. 12. & 13. ep. ad Rom.* ubi exigitur, quod omnis anima debeat esse subdita potestati, quia divina ordinatione sit constituta, cui adeò sit parendum, non solùm propter metum pœnæ temporariæ, sed & propter Conscientiam. Quae de re pluribus egerunt *Suarez de Legg. lib. 3. cap. 21. n. 5. seqq. & lib. 3. princ. n. 2. Ludov. Carbo de Legg. lib. 6. disp. 16. & lib. 7. disp. 1. Adam Cont. lib. 5. Polit. cap. 8. Azor. lib. 5. Inst. mor. cap. 6. Claud. Carninius in oppugnatione turris Babel part. 1. cap. 18.* Etsi ergo in iis rebus, quæ Jure Naturæ determinatæ non sunt, nihil pecces sive committendo, sive omittendo; ubi tamen lege arbitraria de his certum jus fuerit constitutum, protinus obligari incipiunt homines, ut ita agant, ceu jussit Legislator, neque sine peccato ejus voluntati & sanctioni obniti queant. Hoc est quod his verbis significat Philosophus: *Legitimum jus esse, quod ab initio hoc an illo modo fiat, nihil refert: cum vero constitutum fuerit, tum demum refert.* Illustrantur hæc ipsa eodem memorabili exemplo, quod ex sententia Mich. Ephesii proposui supra *th. 3.* Nunc vero illud repetam verbis *Simplicii in Enchirid. Epicteti cap. 47.* ex versione *Hier. Wolfii* ita loquentis: *Cum Lex*

Lex



lex (Arbitrariam intelligi vult) & Consuetudo sororis & fratris consuetudine interdicat: appetitiones non secus ac ab ipsius naturæ imperio suppressæ, ita prorsus sunt immobiles.

X. Quæritur jam porrò, quis sit Juris Arbitrarii finis? Respondet Aristoteles d. c. 5. §. II. τὸ συμφέρον, Utile. Nam ut Jura Naturalia Honestate, ita Arbitraria Utilitate, & usu communi civium ponderantur & constituuntur; inquit hic Gifanius. In eandem sententiam scribit Cicero 2. de Invent. p. m. 127. Initium Juris à natura ductum videtur: quædam autem ex Utilitatis ratione, aut perspicua nobis, aut obscura, in consuetudinem venisse: post autem approbata quædam à consuetudine, aut vero utilia visa, legibus esse firmata. Ita quoque sensit Varro apud Augustinum de Civ. Dei lib. 6. c. 5. Horatius: Utilitas justæ prope mater & æqui. Et ipse Iustinianus §. 2. Inst. de Jur. nat. gent. & civ. ait, Usu exigente & humanis necessitatibus, gentes humanas quædam jura sibi constituisse: ubi propter confusam significationem Juris Gentium parum sibi consentanea Imp. loqui ostendit Bachovius. Rem omnem egregiè explicat Grotius in Prolegom. de J. B. P. his verbis: Naturalis juris mater est ipsa humana natura, quæ nos, etiam si re nulla indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferret. Civilis vero juris mater est ipsa ex consensu obligatio, quæ cum ex naturali jure vim suam habeat, potest Natura hujus quoque iuris quasi proavia dici. Sed naturali juri Utilitas accedit. Voluit enim Natura autor nos singulos & infirmos esse, & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes, quò magis ad colendam societatem raperemur. Juri autem civili occasionem dedit Utilitas. Nam illa quam diximus consociatio aut subjeçtio Utilitatis alicujus causa cæpit institui. Deinde & qui jura præscribunt aliis, in eo Utilitatem aliquam spectare solent, aut debent. Sed sicut cujusque civitatis jura utilitatem suæ

B

civi-



civitatis respiciunt ; ita inter civitates aut omnes aut plerasque ex consensu jura quædam nasci potuerunt , & nata apparet , quæ utilitatem respicerent non cœtuum singulorum , sed magnæ illius universitatis. Et hoc Jus est quod Gentium dicitur , quoties id nomen à jure naturali distinguimus. Hæc ille : cujus verba aliàs subtilius examinavimus , & emendavimus. Hugoni Grotio addeſis *Hugonem de Roy lib. 2. de eo quod juſt. eſt. tit. 4.* Cæterum quomodo Utilitas Juris arbitrarii finis ſit , & quæ qualisve ſit illa Utilitas , aliàs erit repetendum.

XI. Quid ſit Utile , pluribus expoſui in commentario meo Juris Naturæ ad 2. *Offic. Ciceronis* librum. Vetus eſt illa Academicorum & Peripateticorum diſtinctio , quod alia ſint Bona Honèſta , alia Utilia , alia Jucunda. Honèſta id habent , ut præter eſſentiales partes , Utilitas & Jucunditas iis accedat. Utile vero præciſe conſideratum videtur eſſe bonum in reſpectu ad aliud conſequendum. Apparet hinc , eſſe quandam Utilitatem bonorum quorundam finalium : eſſe item Utilia quædam bonorum , Medii rationem habentium. Præterea ſicuti in genere Bonum aliud eſt Verum , aliud Apparens ; ita quoque aliud verè eſt Utile , aliud *Φαινομένης*. Poſterioris ferè generis eſt , quod momento ſeu exiguo tempore utile eſt , vel videtur , cum mox ſit allaturum majus multò detrimentum. Verè Utile autem eſt id , quod ſemper aut plerumque eſt tale , vel ſaltem , unde poſt non emergat majus damnum. Porrò aliud eſt publicè utile , aliud privatim. Quæ omnia etiam in Rebus publicis locum invenire ſolent. Ideo enim in Civitatem homines cœunt , ut ibi felicitatem perfectam inveniant , quod eſt bonum finale , ex variis bonis aliis conſertum , unde in illos redundet *ἀντάρησις*. Eſt enim Civitas

tas



tas societas, πέρας τῆς αὐταρκείας ἔχουσα, fastigium omnīs ubertatis παῖτα. Ad hoc bonum finale variis itineribus contendere solent homines, & diversis ad illud adipiscendum uti actionibus. Imò ipsa αὐταρκεία illa in diversis rebus collocatur, ut non solum de mediis, sed & ultimo fine ac felicitate non idem sentiant sive singuli homines, sive integri populi & Respublicæ: adeoq; sæpe evenit, ut nubem pro Junone, falsa bona pro veris in amplexibus habeant, & momentanea sæpe constantibus præponant, & quandoque etiam publicè quod utile credunt, ita curant, ut privatim utilia prorsus negligant, & fortè unius ordinis rationem unicè aut præcipuè, aliorum nullam aut perexiguam habeant. Unde oritur Rerump. diversitas, & quod aliæ hoc, aliæ aliud συμφέρον seu Utile existiment. Hinc ita Aristoteles 3. Polit. 4. inf. Φανερόν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κεινὴν συμφέρον σκοποῦσιν, αὐταὶ μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν εἶσαι, καὶ τὸ ἀπλῶς δίκαιον. ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων, ἡμαρτημέναι πᾶσαι, καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν. Hoc ita transtulit P. Victorius: *Per spicuum igitur, omnes respublicas, que commune bonum propositum habent, bas quidem Rectas esse secundum simpliciter justum. Quæcunque vero sunt tantum propriamq; cuncta vitiosa sunt, & migrationes exitusq; è rectis rebus publicis.* Hæc similesq; aliæ versiones effecerunt, ut vulgò Respublicæ dividi soleant in Rectas, & Vitiosas; sed, ut nobis videtur, neque ex sententia Aristotelis, neque ex vero simpliciter.

XII. Nam cum ille Philosophus Jura naturæ & officii virtutum Opere ad Nicomachum tradidisset, ac identidem docuisset, Hominem esse φύσει ζῶον πολιτικὸν κατὰ φύσιν animal civile, secundum illorum Jurium regulas voluit homines etiam vivere in civitate, quam ille Rempublicam O-



ptimam appellat, adeoque hanc totius philosophiæ practi-  
cæ finem habet; ceu ex *c. ult. Oper. ad Nicom.* & passim ex O-  
pere Politico, præsertim libris ejus duobus posterioribus,  
& quæ in fine *libri 3. Pol.* leguntur, nemini non liquere po-  
terit. Cum vero Reip. Optimæ non sit una conditio, no-  
lumus hanc in rem hic limatius inquirere, quod illud à  
proposito nostro sit remotius. Videri ea de re poterit *Con-  
ringius disp. de Rep. Optima, & lib. de civ. Prud. c. 5. p. 73.* Hoc  
solum monebo, ita de hac Rep. differere Philosophum,  
ut credat illam vel monarchicè, vel aristocraticè vel *πολι-  
τικῶς*, voce hac strictius accipienda, posse regi & administra-  
ri, ut tamen videatur *πολιτείαν* speciatim dictam ceu for-  
mam regiminis Reip. Optimæ accommodatissimam com-  
mendare.

XIII. Quia vero Homines diverso more & ingenio  
sunt adfecti, diversa item vitæ genera ac studia sequuntur,  
fit, ut non eodem judicio in his utantur, &, si ad virtutem  
non satis sedulò sint instituti, civitates quidem ineunt,  
sed diversos illarum fines constituunt, qui à fine Reip. O-  
ptimæ, & quidem quæ sit *ἀπλῶς* talis, modò longiùs, mo-  
dò minùs longè, modò longissimè recedunt: eamque ob  
causam hæ Respp. dicuntur *παρεκβάσεις*, quod à perfecta  
norma Reip. Optimæ abeant, sive in paucis, sive in multis.  
Nam si omnino quædã Respublica à Rep. Optima recedat,  
ut virtutum & jurium naturæ nullatenus sit observans, illa  
nec statum nec nomen suum tueri poterit. Hinc idem  
Philosophus ait, Tyrannidem minimè omnium Reip. no-  
men mereri aut sustinere posse. *4. Polit. 2. p. m. 222. & 8.  
Nicom. 10. §. 9. & c. 11. §. 12. & 18.*

XIV. Quando igitur nonnullæ Respublicæ à perfecta  
norma Reip. Optimæ abeunt, tum fit discessus vel in ea,  
quæ





quæ sunt præter Jus Naturæ, vel in ea, quæ sunt contra Jus Naturæ. Unde colligi potest, Respublicas illas non omnino esse παρεκβάσεις, sed in quibusdam honestatis orbitam premere; quibus videlicet partibus sunt observantes jurium naturæ & honestatis. In aliis partibus deprehendas quidem παρέκβασι, sed quæ sit sine vitio, putà quibus versantur in iis, quæ sunt præter jus naturæ. In aliis vero ita παρεκβαίνουσι, ut in contraria juribus naturæ incidant. Hæc vero postrema παρέκβασις multum differt ab illa altera, quod hæc sit sine vitio, non item ista: adeoque illæ Respublicæ quando Rectis opponuntur, non censendæ sunt omnino Vitiosæ aut Malæ, ceu vulgò credi solet, sed illa demum parte, qua illarum παρέκβασις ad Naturæ planè contraria exorbitat. Appositè hac de re loquitur *Conringius de Civili Prudent. c. 5. p. 69.* *Nec omnis, inquit, παρέκβασις universam recti naturam perdit: perinde atque nasus sic satis deformis eo ipso tamen nasus omnino esse non desinit. Ad eundem modum abeunt quidem à recto heriles illæ, ita tamen ut non omnem exuant civilis societatis conditionem.* Rectius itaque mentem Philosophi exprimerent, si Respublicas dividerent in Rectas & Declinantes ab istis. Quæ omnia ut magis fiant perspicua, non persistendum erit in generalibus his, sed ad singulas Rerumpublicarum species gradus est promovendus, ut hinc appareat, quale in singulis συμφέρον obtineat, quod pro cynosura in nomothesia Legislatores observent. Omnia vero compendio tradentur, quò ad propositum, quod sine his teneri commodè nequit, sine ambage redeamus.

XV. Varia sunt bona humana, quæ in civili societate singula suam habent αξίαν, etsi diversam, Virtus, & speciatim Justitia ac Fortitudo, Libertas, Divitiæ, Nobilitas.



litas. Quando igitur coituri in civitatem cives alii aliis ex his bonis sunt præditi, omnium eorum ratio est habenda, ut quique pro genere boni, quo præstant, ad Reip. & summi imperii, aut saltem magistratum participationem admittantur, ne inæqualitas existat, & ex hac querelæ & diffidia emergant. Quod si unus aut pauci reliquæ multitudi- ni his omnibus bonis antecedant, vel saltem eam æquent, non injuria uni illi aut paucis imperium civile, τὸ κύριον, de- fertur. Atque hinc oritur τὸ δίκαιον πολιτικόν, *Justum civile*, pro varia Rerump. natura. Et quia omne Justum est æ- quale, secundum ea, quæ 5. *Nicom.* docentur, hinc dupli- cem in Rebusp. æqualitatem obtinere ait Aristoteles, Geo- metricam & Arithmetica. Videtis illum 3. *Polit.* 8. p. 181. & 5. *Polit.* 1. p. 297. Ubi ergo diversa bona civilia, inter se sunt commensuranda, & secundum hæc imperii civilis distributio facienda, æqualitas geometrica observabitur. Quod si iisdem bonis contendant, neque unus aut pauci iis reliquorum ἀξίαν exsuperent, arithmetica proportione, constabit æqualitas. Quod si vero iisdem bonis nitantur cives, unus vero & pauci multum reliquorum ἀξίαν supe- rent, aut æquent, geometrica æqualitate Justum consta- bit. Contingit etiam, ut quandoque civis civi sit æqualis ratione unius boni civilis, qui tamen ratione aliorum bo- norum sit inæqualis: ut adeò qui secundum quid est æqua- lis alteri, non debeat se pro eo gerere, qui sit æqualis sim- pliciter. *Conring. diff. de Oligarchia. lb 15. & 16.*

XVI. Et si ergo Jus Naturæ velit, ut præcipuæ debean- tur imperii civilis partes propter Virtutem & Justitiã, non tamen meritum reliquorum bonorum civilium prorsus negligi vult. Justum ergo παμβασιλικόν, *absolutè Regium*, Phi- losophus niti ait Virtutis excellentia, & Beneficiorum ma- gni-



gnitudine. 3. Polit. 11. Ἐ τὸν παρὰ βασιλέα, Regem absolute ta-  
lem, appellat ἕνα τὸν ἀρίστον, ἡμῶν omnium optimum, & reli-  
quos virtute præstantem vel æquantem. Et 8. Nicom. 10.  
§. 6. ita scribit: Etenim Rex non est, cui sua non sunt satis, qui-  
que non omnium bonorum copia antecellit. Add. 3. Polit. 12. pag.  
214. Ἐ 215. Justum ἀριστοκρατικὸν in Optimatum Statu præci-  
puè etiam Virtute, tum & aliis bonis civilibus nititur, qui-  
bus pauci reliquos superent aut æquent, sic ut cuique Opti-  
mati secundum suæ Virtutis præstantiam imperii civilis  
pars & autoritas sit conferenda. Unde 8. Nicom. 11. §. 8. ait,  
quod in Aristocratia Virtutis ἀξία præcipuè attendatur, &  
plus boni meliori tribuatur, & quod cuique aptum & ac-  
commodatum est. Idem 3. Polit. 5. sic ait, Aristocratiam  
dici, vel quia optimi viri imperent, vel quia spectent ad id,  
quod optimum est civitati ejusque membris. Add. 4. Polit. 7. p.  
246. In Politia speciatim dicta bonorum civilium maxi-  
ma est æqualitas: ut tamen secundum naturæ ordinem  
virtus præcipuam habeat ἀξίαν, tum in specie, Fortitudo,  
& Libertas, & modicus census: qua de causa, cum ini-  
quam fuerit, alios perpetuò imperare, atque reliquos per-  
petuò parere: sit quoque impossibile, ut salva Politia o-  
mnes simul imperent, aut omnes pareant simul, inter ta-  
les cives in tali Rep. obtinere debet vicissitudo imperandi  
& parendi. 3. Polit. 5. p. 161. Ἐ c. 12. p. 213. Notatu digna  
sunt, quæ leguntur 3. Polit. 11. p. 204. Cum contingeret, ut  
multi evaderent similes virtute, πολιτείαν constituerunt. De  
Politix civibus ita loquitur 9. Nicom. 11. §. 10, quod inter se  
sint pares Ἐ æquabiles, ac moderati bonique viri. Atque hoc  
δικαίον πολιτικὸν non solum ita speciatim dicitur Aristoteli,  
sed & κατ' ἐξοχήν, ceu videre est 5. Nicom. 6. §. 23. & quod  
illud in usu sit iis, quibus est inter ipsos imperandi Ἐ parendi  
æqua-



*æqualitas.* Hæ sunt illæ Rerump. species Rectæ: quarum omnium hæc est communis conditio, ut publicæ salutis & utilitatis habeatur primariò ratio, & non nisi secundariò Regis, Optimatum, & pro tempore in Politia imperantium.

XVII. His oppositæ παρεμβάσεις sunt Tyrannis, Oligarchia, Democratia: & singularum cum inter se, tum à superioribus sunt distincta & diversa Justa; modò Tyrannidis aliquod Jus possit esse proprium. Hinc cum Aristoteles docuisset 3. *Polit.* 12. p. 212. esse quoddam genus hominum δεαοτὸν, quod commodissimè vivat sub herili imperio: aliud βασιλευτὸν, quod commodissimè vivat sub Regio imperio: aliud πολιτικὸν, cui Civile imperium cum primis sit accommodatum: ac perinde aliis convenire aliud δίκαιον καὶ συμφέρον, *Justum & Utile*; subjungit, τυραννικὸν δ' ἔκ ἐστι κατὰ φύσιν, *Tyrannicum autem non est secundum naturam.* Quinimo 4. *Pol.* 8. videtur Tyrānidem rejicere à philosophia civili, tãquam alienum ab ea, vel saltem à suo instituto (quod Remp. Optimam propositum habet) argumentum. Verba ejus sunt: *Ad extremum de Tyrannide consentaneum est mentionem facere, cum hac sit minimè omnium Respublica: nobis autem omnis cura studiumque est de Republica.* Atque ubi docet lib. 5. *Polit.* c. 10. p. 251. quibus rebus differant Rex, & Tyrannus, inter alia ait, σκοπὸν βασιλικὸν, *finem Regii imperii esse τὸ καλὸν, Honestum*, scopum vero tyrannorum esse τὸ ἡδύ, *vitam voluptariam*, & ab iis instrumentum ac nervum voluptatis ac luxuriæ conquiri Pecuniam. Et quamvis duplicem rationem conservandarum Tyrannidum exposuisset eodem Libro, unam asperam, alteram sic satis temperatam & commodam, docet tamen & exemplis confirmat ejusdem lib. cap. 12. Tyrannidem esse brevissimam omnium Rerump. publicarum. In Opere ad Nicom. lib. 8.

c. 10.



c. 10. §. 8. ait, Tyrannidem esse deterrimam. Et c. 11. §. 12. In Tyrannide aut nihil, aut parum est amicitia &c. Et §. 18. In Tyrannidibus neque amicitia multum esse potest, neque iuris. Atque hæc est παρέκβασις Regno opposita. Κάκιστον γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ βελτίστῳ, Quod optimo est contrarium, pessimum; inquit §. Nicom. 10. §. 9. ὡς τὴν τυραννίδα, χειρίστην ἴδουσαν πλεῖστον ἀπέχειν πολιτείας, ut ad eam Tyrannidem, cum sit pessima, plurimum à Republica (putà, qualem ille sibi proposuerat) abeat. 4. Polit. 2. p. 222.

XVIII. Altera παρέκβασις est Oligarchia, opposita Aristocratia. Atque illius ὄρος, qua voce in hac re uti amat Philosophus, sunt Nobilitas & Divitiæ, quæ quidem suam sibi ἀξίαν in civitate haut immeritò vindicant: at quod posthabita Virtute vel unicè vel præcipuè horum bonorum ratio habetur, in eo consistit illa παρέκβασις. Hinc de Oligarchicis ait §. Nicom. 10. §. 11. quod res civitatis tribuant indignis, omnia bona, aut illarum maximam partem sibi vendicent, magistratus iisdem semper deferant, divitias rebus ferè omnibus anteponant; eoque fieri, ut pauci magistratum gerant, iique improbi ac vitiosi, loco virorum bonorum ac virtute præstantium. Libro 3. Polit. c. 11. p. 204. dicit, Oligarchias exortas esse, quod nonnulli cum quæstui habuissent Remp. divitias congesserint, atque his ipsis imperium sibi deberi contenderint. Add. 4. Polit. 4. p. 229. Et 6. Polit. 6. Atque ideo Xenophon Oligarchiam appellat πλετοκρατίαν.

XIX. Tertia παρέκβασις est Democratia, opposita Politia speciatim dicta, à qua cum non multum abeat, nisi fortè sit infima ejus species, ὀχλοκρατία, quæ est quædam ἀναρχία, inter παρεκβάσεις hæc est minima. Hinc ipse Philosophus non dubitavit promiscuè uti vocibus Politia & Democratia; ceu videre est ex 3. Polit. 1. p. 138. διὸ περὶ ὀλιγαρχίας

C

χθεις



χθεις ἐν μὲν δημοκρατία μάλις ἐστὶ πολίτης: Quapropter de quo dictum est, præcipuè civis in democratia est. Et 8. Nic. 10. §. 12. ait, Politiam, quam ibi Timocratiam appellat, & Democratiam esse Respublicas sibi confines. Et paulò post §. 14. inquit: *Minimè omnium vitiosa est Democratia, quia paulùm admodum ab ea Reip. forma, quæ in hoc gradu laudabilis est, deflexit.* Est vero Democratia ὁρῶ, Libertas, cui vel omnia Reip. munia ac dignitates, vel saltem præcipuè debentur putant ejus cives, secundo aut deteriori adhuc loco habitis ferè aliis bonis, & cum primis Virtute. Interim hac quoque re melior est Democratia, hoc est, minus est mala, quàm Tyrannis & Oligarchia, quod in his enixè quæritur commodum ferè imperantium, parentium non nisi leviter, aut levissimè: id quod secus obtinere videtur in Democratia, quæ publicam utilitatem respicere videtur. Hactenus de Rebusp. & Rectis, & earundem Declinationibus, quarum divisionem & numerum etiam confirmat Polybius lib. 6.

XX. Sed cum mores hominum Rempublicam omnimodo rectam & perfectam non admittant, atque hinc variaz deprehendantur παρεκβάσεις, interest profectò accuratius paulò examinare hæc Philosophi, quæ leguntur 3. Polit. 12. p. 212. τυραννικὸν δ' ἔκ ἐστὶ κατὰ φύσιν, ἔδὲ τῶν ἄλλων πολιτειῶν, ὅσαι παρεκβάσεις εἰσὶ. ταῦτα γὰρ γίνεται παρὰ φύσιν. Tyrannicum autem (imperium) non est secundum naturam, neque ulla Rerump. quæ sunt Declinationes. Hæc enim fiunt præter naturam. Primò hic quæritur, quomodo sint accipienda illa verba, παρὰ φύσιν, quæ ambiguum habent significationem, & denotare possunt, tam quæ sint contra naturam, quàm quæ sint præter naturam: inter quæ tamen non modica est differentia. Posteriores interpretationem amplexi sunt

ver-



versio vetus, Aretinus, P. Victorius, Lambinus, eamque etiam probat Thomas in suis ad *b. l. Lectionib.* Alii, veluti Sepulveda, Gifanius, Piccartus, priorem interpretationem præferunt: quæ etiam, si verum fateri velimus, menti Aristotelis est convenientior. Vult enim alios homines aptos natos esse ad ferendum imperium herile, alios non nisi civiliter regendos esse, adeoque si accidat, ut liberi homines, qui civiliter regi debebant, inique subjiciantur imperio herili, & quidem inviti, sive à tyrannis, sive Oligarchicis, id esse *παρὰ φύσιν*, *contra naturam*.

XXI. Unde jam nascitur altera Quæstio, An omnino idem sit, si dicas, aliquid fieri contra naturam, & fieri quid contra jus naturæ? Nos multum credimus sæpe saltem inter hæc interesse. Multa enim fiunt secundum naturam etiam in rebus aliis, v. g. ut seges arvo commissa frugem proferat, neque tamen fit aliquid contra jus naturæ, si spes fallatur agricolæ. Hinc cum Aristoteles *1. Polit. γενεματιστικὴν* distinxisset in Naturalem & Artificialem, atque hanc dixisset exerceri Nummo, subjicit contra naturam fieri, ut Nummus pariat nummum: at hinc non sequitur, idem protinus etiam contra jus naturæ esse. Nam sicuti arti ditescendi naturali opponitur artificialis; ita quoque Fructibus naturalibus opponi consuerunt Civiles, qui tamen juri naturæ non adversantur: modò absit injustitia. Ita si locarium ex meo prædio percipiam, prædium certè naturaliter non potest parere nummum, at civiliter potest, & quidem haut iniquè, si ex contractu locati conducti rectè initi locarium præstetur. Hinc J. C. ait, Usuras non esse in fructu, *l. 121. ff. de V. S.* neque illas naturâ provenire, jure tamen percipi *l. 62. ff. de rei vind.* & vicem fructuum obtinere *l. 34. ff. de usur.* nec non pensiones prædiorum, &



mercedes, pro fructibus accipi, interque illòs numerari. *l. 19. pr. & 36. ff. eod. & loco fructuum esse l. 29. ff. de hered. petit.* Vult igitur Aristoteles, illos homines, qui naturâ eo sunt ingenio, ut civiliter regantur, præter jus fasq; non esse subjiendos herili imperio, quod hoc non sit conveniens naturali inclinationi & destinationi. Interim hæc destinatio naturalis non est conjuncta cum stricta obligatione, ut aliter si quid eveniat, peccetur semper contra jus naturæ, cum ipsa Natura multa in his arbitrio hominum permiserit, & multa etiam non strictè imperaverit, aut prohibuerit hominibus, sed illorum prudentiæ & consilio commendaverit. Ita si quis liber populus herili imperio se ultro subjiat, non injustum erit illud imperium. Ita si populum liberum justo bello quis subjecerit, addictiùs is regi poterit, cum primis si periculum sit, quod aliter in officio contineri nequeat. Quod si item sit populus liber quidem, sed feroci & aspero ingenio, tantùm abest, ut civile imperium ei conveniat, ut non sit aliud accommodatius huic quàm herile.

XXII. Cæterum eo cum primis nomine videtur Aristoteles reprehendere τὰς παρεκβάσεις, quod illæ à Rectis Rebusp. hætenus cum primis recedant, quod, cum in his quærat *τὸ κοινῆ συμφέρον*, quod utile est non minùs parentibus, quàm imperantibus; in istis unicè aut præcipuè quærat *τὸ συμφέρον* imperantium. Qua de re nihil certi poterit statui, nisi singulas παρεκβάσεων species inspexerimus. Quod ergo attinet δημοκρατίαν, vix est, ut illa eo nomine accusari possit, neque memini me vel in Aristotele vel alibi hoc in hac Rep. notatum legisse. Qua de re etiam aliquid dictum fuit suprâ *tb. 19.* Alia igitur potius erunt, quorum nomine inter παρεκβάσεις referatur. Tyranni-



rannidem vero ipse Aristoteles ferè ex numero Rerumpu-  
 blicarum ejecit. Nam cum Reip. vox sit ἀφ' ἐνός, quæ pri-  
 mario competit Republicæ, quæ dicitur ἀπλῶς Optima,  
 in qua idem est officium Boni Viri, & Boni Civis 3. Polit. 3.  
 & ubi τὸ Utile semper cum Iusto & Honesto convenit,  
 nunquam certè his repugnat; reliquas Respublicas ne-  
 cessum est tantò minus nomen suum tueri posse, quò ma-  
 gis ab Optima Rep. recesserint. Cum igitur Tyrannis  
 longissimè ab ea distet, potius instar habet ac speciem  
 Reip. quam ut sit vera Respublica. Nam ubi est Resp. ibi  
 est ordo summi Imperii civilis: is vero ordo jure nititur.  
 Cum ergo Tyrannus jure summi imperii sit destitutus, ve-  
 ram Remp. is non habet, etiamsi sit prædo & detentor  
 civitatis, & summum imperium mero facto exerceat. Fie-  
 ri interim potest, ut hujusmodi Tyrannus & inuasor, si ar-  
 tibus regiis utatur, quas 5. Polit. II. p. 381. Philosophus ex-  
 ponit, paulatim jus quoque imperandi sibi adquirat ex  
 subsequente populi consensu: Neque obstat illa Iuris re-  
 gula: *Quod ab initio non valet, illud tractu temporis non con-  
 valescere. l. 29. ff. de R. l.* Vera enim tum demum est, nisi  
 novus Iuris titulus intervenerit. *Add. Grotius, de J. B. P.  
 c. 4. n. 15. & Jac. Gotbofr. ad d. l.* Cum ergo Tyrannus nul-  
 lum habeat Jus τῆς ἀρχῆς κυριατείας, summi sui Imperii, in  
 hujus vero ordine Respublica consistat, facti sunt tantum  
 non omnia, quæ Tyrannus designat, adeoq; facit non so-  
 lum multa contra naturam, sed & contra jus naturæ, su-  
 umque commodum unicè quærit, neglecta iniquè subdi-  
 torum salute, imò ex horum sanguine auream sibi metit  
 messem, & ex horum miseria perpetuum sibi imperium  
 & gaudium inhumanissime pollicetur, & adstruere sa-  
 tagit.



XXIII. De Tyrannide quæ dixi, omnino intelligenda sunt de eo civitatis statu, cui istud nomen meritò tribui possit. Nec enim quævis imperia herilia monarchicè administrata Tyrannides sunt. Si enim tali Monarchiæ subsit populus servilis ingenii, aut ferox & asper populus, aut iusto bello devictus, aut pactis & consensu tale imperium sit constitutum, hoc certè Juri naturæ non repugnat, etiamsi suum commodum primariò quærat is princeps, & aliud obrineat in idea Reip. Optimæ. Nec enim injustum subitò erit imperium, si subditis non semper sit optimè, cum sufficere sæpe queat, si illis non sit malè, vel satis sit benè sub aliquo Principe etiam *δεσποτικῶς* imperante; quandoquidem illud Prudentiæ præceptum, *Præstat aliquam habere Rempublicam, quàm nullam*, etiam Naturæ, quæ nihil ferè pejus odit, quam *ἀναρχίαν*, probatur, præprimis ubi imperans herilis imperii habet causam non injustam. Etsi ergo in hujusmodi imperiis cum Rep. Optima collatis deprehendi queat quædam *παρέκβασις*, non tamen hæc protinus conjuncta est cum vitio, sed potius jure non improbo subnixa est: à quâ *παρέκβασις* adeò toto cælo distat Tyrannidis propriè dictæ, de quo paulò ante, *παρέκβασις*.

XXIV. Restat ut videamus, quomodo *παρέκβασις* Oligarchiæ sit comparata, eò quod Nobiles vel Divites primariò suam, secundariò parentium commodum quærant, sitne ista hinc injusta censenda & vitiosa, necne: & an solùm sit contra Naturam, quæ homines secundum perfectam Reip. Optimæ normam quidem regi exoptat; aut etiam sit adversa Juribus Naturæ. Dixi Oligarchiæ *ὄργη* esse Nobilitatem & Divitias, quarum normâ Jus capiendi Rempublicam, definiatur, sic ut ii soli, qui sunt  
Nobili



Nobili genere nati, aut legitimum adsecuti sint censum, capaces sint Reip. & jurium Majestatis, uti recentiores loqui amant. Hoc institutum licet sit præter naturam, non tamen est contra jus naturæ, ut Nobiles & Divites cui-dam Reip. præsent, etsi ex commendatione Naturæ his sint præferendi Viri boni. Et vero tantò minus damna-ri à Natura poterit Oligarchia, si iidem Nobiles aut Divi-tes, sint quoque virtute præstantes. At, inquis, tum non fore simplicem Oligarchiam, quin potius illam Aristoc-ratia speciem, ubi & Virtutis & Divitiarum ratio in ju-re capessendæ Reip. habetur. Hoc si sit, concedo non esse amplius simplicem Oligarchiam. Interim non dubi-to verum esse, si sola Nobilitas aut Divitiæ solæ pro *ὄρω* in conferendo summi imperii civilis jure observentur, esse utique Oligarchiam, etiam si iidem sint virtute exi-mii, & simul Nobiles ac Divites. Quales qui fuerint, illi profectò magno bono poterunt præesse Reip. Oligar-chicæ, sic ut parentes satis feliciter & sub eorum imperio vivere queant: adeoq; esse poterit fortè quædam Oligar-chia, ubi imperantium commodum non præcipuè, & parentium secundariò quærat, atque sic hætenus illa quidem Oligarchia non foret *πείνησις*, sed illa solum in modo capessendi & tractandi Rempubl. talem cerneretur, quod *ὄρω* ejus præcipuè & unice sint Nobilitas generis & Divitiæ, & reliquorum bonorum civilium, cum primis Virtutis, nulla per se habeatur eximia ratio, etsi per acci-dens tamen fructus hinc redundant in Remp. eaq; etiam quodammodo secundum virtutem administratur.

XXV. Sed quid si Oligarchici nullius boni civilis sin-gularem habeant *ἀξία*, præterquam Nobilitatis aut Divi-tiarum, eoq; nomine admissi ad Remp. exclusis aliis, suam salutem



salutem & felicitatem primariò, subditorum secundariò  
 consecretur? Puto saltem interdum id non solùm fieri  
 non injustè, sed prorsus justè. Si enim illi Nobiles, divi-  
 tiis præstantiores, illas bono Reip. impendent, æquum  
 profectò est, ut plus etiam de ipsa Rep. participent, & in-  
 ter illos atque subditos observetur proportio geometri-  
 ca, ut docet Aristoteles *5. Nicom. 3 §. 14. & 15.* Quod si  
 quis putet, illam ἀξία & proportionem in Nobilitatis  
 bono attendi non posse, discere licet ex ejusdem Politi-  
 cis, qualis sit intelligenda ea Nobilitas: de qua sic ait 4.  
*Pol. 8. sub f. Nobilitas sunt veteres divitiæ, & Virtus.* Eadem  
 repetit *5. Polit. 1. p. 295. Nobiles esse videntur, quibus adest  
 majorum virtus & divitiæ.* Putat scilicet Philosophus, No-  
 bilitatem ferè esse comitem Divitiarum & Virtutis, puta  
 Militaris, quam Fortitudinem alias appellamus. *Vid. Plu-  
 tarcb. in vit. Coriolani.* Nam propter Fortitudinem & o-  
 lim & hodie Nobilitatem & summos in Rep. honores tri-  
 butos esse quis nescit? Quod si vero illi Nobiles & Divi-  
 tes suam felicitatem primariò quærant, secundariò sub-  
 ditorum, istam attentè quærant, hanc negligenter, idq;  
 præter ἀξία & meritum suorum bonorum civilium; ista  
 quidem παρέχασις aliquid habet iniquitatis, non tamen  
 ut ideò subditis rebellionem aut seditionem ciere pro-  
 tinus liceat, aut Natura illam Oligarchiam omnino da-  
 mnet. Vitia enim erunt, donec homines, qui quo plu-  
 res sunt in aliqua civitate, eo difficilius est in illa formare  
 & constituere Rempublicam, quæ Optimæ Reip. ideam  
 quàm simillimè exprimat. Itaque uti aliàs, ita & tali  
 tempore & casu præstat aliquam habere Rempubl. quam  
 nullam.

XXVI. Si ergo fines spectes Rerump. Rectarum  
 gene-



genere idem illis est Utile in bonis illarum finalibus. Si illarum media spectes, est illis diversum Utile. Nam instituta regia Regio statui, Aristocratica Aristocratico, Politica politico sunt Utilia, non autem promiscuè quælibet instituta cuilibet statui conducunt. Præterea si spectes Rerump. his oppositarum, quæ παρεμβάσεων nomine veniunt, fines, hi non solum à Rectarum finibus, sed & inter se non parum iisdem differunt. Et si harum instituta & media spectes, idem fuerit dicendum: ut adeò quod uni Reip. est aut videtur utile, non protinus aliis quoque sit utile, sed sæpe inutile, ut sæpe propter diversum utile non solum diversis, sed & contrariis utantur mediis & institutis: quæ cum legibus comprehendi soleant maximam partem positivis, apparet Jus civile Arbitrarium esse multiplex, & pro Utilitate varia hominum & Rerump. esse diversum, & mensuris hætenus simile. Cum vero in Rep. Optima tanta varietas non sit, Jus quoque duplex constitui debet, unum ἐξ ὑποθέσεως, alterum ἀπλῶς tale. Istud est, quod certæ Reip. formæ est accommodatum, sic ut cum Jure ἀπλῶς tali collatum multum ab hoc discrepet. Jus vero ἀπλῶς tale est, quod Reip. Optimæ ad finem maximè naturalem impetrandum inservit, ipsamq; Providentiam divinam habet autorem, & cui fasces submittere debeant omnes Legislatores homines, siquidem illis & Numinis & naturalis boni ac veræ felicitatis cura supersit. Magnum interim quoque est Legum Arbitrariarum Juriumq; ἐξ ὑποθέσεως dictorum discrimen, quod alia sanciant quid præter jus Naturæ, quæ adeò Natura non solum tolerat, sed & auctoritatem suam ipsis accommodat, eaq; approbat & rata habet. Quæ leges uti carent vitio, ita hætenus quoque παρεμβάσεις Rerump. ab illo immunes sunt,

D

sunt,



sunt. At sunt alia jura arbitraria ἐξ ὑποθέσεως, Rerump. declinantium, quibus quandoque sanciantur ea, quæ Juribus Naturæ sunt contraria, quæ uti ἀπλῶς considerata sunt injusta, ita hæctenus παρεκβάσεις illæ quoque sunt injustæ, neque subditi impunè his quidem legibus vel obligari, vel parere possunt. *arg. l. ult. ff. de Jurisdic.*

XXVII. Quæ cum ita sint, non potest non sequi, diversam esse adfectionem seu proprietatem Juris Arbitrarij & Naturalis, putà ut hoc sit Immutabile, istud Mutabile. Nam mutata utilitate, id quod facillimè & frequentissimè, & haud rarò sensim sine sensu fieri potest, mutari quoque Jus illud videas. Atque adeo illa tam diversa & multiplex de Utilitate concepta vel persuasa opinio, infinita & plurimum dissidentia peperit Jura Arbitraria, ut nullæ ferè Republicæ diversæ omnino iisdem juribus regantur, sed his tam diversis utantur, quam ulnis, mensuris, & ponderibus. Neque mirum ita inter diversas Respublicas evenire, cum una eademque Resp. diversissimis utatur juribus, illaque modo tempori ac necessitati accommodet, modò nullam aliam causam ejus rei habeat, quàm ut saltem mutandi arbitrandique facultatem ostentet, ac interdum prudenter, interdum parùm cautè vel propria jura sibi condant, vel aliena adoptet, unde litium & tricarum inextricabilis contexitur materia. Atque in illis tam diversis arbitrariis juribus si fortè quædam Juris naturalis strictura promicet, difficillimè tamen in vasto illo Oceano cursus ad illud Dioscurorum sidus dirigitur, quàm omnino difficile est Honestum ab Utili, atque hoc verum à falso secernere.

XXVIII. Transeundum jam nobis est ad alias quasdam Juris Arbitrarij eximias species, quarum tres subindicat Aristoteles citatis ex *5. Nicom. c. 7.* verbis, putà, Jus gentium,



tium, Plebiscita, *Ψηφίσματα*. De prima specie alias exquisitius dicam; id vero jam solum agam, ut demonstrarem, Aristoteli non fuisse ignotum Jus gentium, ut multi putant, eoque nomine divisionem Juris ab illo profectam cavillantur, quod non liqueat, utrum ad Jus Naturæ an Arbitrarium illud voluerit relatum. Neque vero etiam disertè facit mentionem Privilegii, quamvis evidenter id ipsum ex addito exemplo patet. Ita quoq; illo exemplo Jus gentium propriè dictum, h. e. arbitrarii juris species insignior declaratur, *Mina captivum redimere*. Nam inter Lacedæmonios & Athenienses cum bellum gereretur, placuit utrinque, ut captivi minæ pretio redimi possent: quod *λύτρον* veteres Jones *ἀποικίον* dixerunt. Unde Acciajulus rectè monet, hoc exemplum pertinere ad *Jus arbitrarium commune*, quo scilicet diversi populi inter se utuntur. Atque hoc non potest esse aliud, quàm Jus gentium. Perinde hoc se habet, atque cum superiori bello inter Hispanos & Batavos convenit, ut captivi stipendio menstruo redimi possent: quod exemplum rectissimè ad Jus gentium refert *Conringius Disp. de Legib. lib. 24.* & ante illum utrumq; Vir summus H. Grotius *lib. 3. de I. B. P. c. 14. n. 9.* Et cum in genere dicat Philosophus, Jura Arbitraria respicere τὸ συμφέρον, *Utile*, & constitui *συνθήκη, παρτο. d. c. 7. §. 9.* vel *κατὰ συνθήκην, juxta conventionem*: uti ait §. II. optimè etiam hoc Juri gentium convenit. Atque ideo disputat rectè Aristoteles 3. *Polit. 6. p. m. 167.* Tyrrenorum & Carthaginensium non esse unam civitatem, sed quamque sua uti; etsi inter illos sint *συνθήκαι*, hoc est Jus quoddam gentium pactis constitutum.

XXIX. Præterea Philosophus ad Jus Arbitrarium refert, ὅσα ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα νομοθετῶσιν. οἷον, τὸ θύειν Βερασίδα, *qua*



de rebus singularibus conduntur scita, veluti, Brasida sacra facere. Atque hoc fuit jus quoddam singulare Brasidæ meritis, de quibus Thucydides lib. 5. tributum; sicuti Cicero togato decreta fuit Supplicatio, novo exemplo & singulari. Qualia jura singularia Privilegia interpretatur Gifanius h. quæ Constitutiones personales dicuntur §. 6. Instit. de Jur. nat. gent. civ. quod personam non transgrediantur, neque ad exemplum trahantur, ac ne quidem ad heredes sine producenda, nisi disertè aliud à Legislatore cautum sit. Cæterum ab illis Privilegiis personalibus plurimum differre privilegia causæ, satis est apertum: & videre ea de re licet l. 196. ff. de R. l.

XXX. Denique Philosophus accenset Juri Arbitrario τὰ ψηφισματώδη, quæcunque à populis scita & decreta sunt. D. Thomas pro sua elegantia appellat, *Justa sententialia*. Ψήφισμα, uti legitur in definitionibus Platoni tributis, est δόγμα πολιτικὸν εἰς τινὰ χρόνον ἀφωρισμένον. *Decretum, est editum civile, ad aliquod tempus definitum.* Nam paulò antè dictum fuerat, νόμος, δόγμα πλήθους πολιτικόν, ἢ εἰς τινὰ χρόνον ἀφωρισμένον, *Lex, scitum multitudinis civile, ad nullum tempus definitum.* Respicit autem Philosophus ad consuetudinem veteris Græciæ in decernendo. Ubi enim in Democratiis illis ad multitudinem de re quapiam relatum esset, suffragia calculis in urnam illatis, uti olim Romæ tabella, inibantur. Per τὰ ψηφισματώδη igitur designantur omnis generis decreta, diversis negotiis temporibusque accommodata. Huc referunt Camerarius & Gifanius Senatusconsulta, Plebiscita, Principum rescripta, Edicta Prætorum, leges quasi annuas, uti illa appellat Cicero, item alias leges de certo aliquo negotio, bello gerendo, de legatione suscipienda, magistratu obeundo, & similibus rebus singularibus sancitas. *Quin & Præjudicia quæ nobis*

bis



bis appellantur, non malè inter τὰ ψηφισματῶν retuleris. Sed cum hæc exempla Aristoteli memorata nobis non sufficiant, amplius in Juris Arbitrarii species aut diversa genera inquirendum est.

XXXI. Jus ergo omne Arbitrarium vel est Divinum, vel Humanum. Istud Deum habet autorem, hoc homines. Divinum illud vicissim est duplex, Universale, quo omne genus humanum sibi obligare voluit: quò pertinet præceptum de arboris vetitæ fructu non comedendo: & illud de homicidio ultimo supplicio per effusionem sanguinis puniendo, *Genes. 9. v. 5.* Nam præter pœnam gladii, quæ homicidio speciatim videtur constitui, Hebræis post in usu fuerunt, Lapidatio, Vivicomburium & Strangulatio. Vid. Seldenus *lib. 4. c. 1. de Jur. Nat. Gent.* & Casaubonus *Exercit. 16. n. 77.* Grotius quidem *lib. 4. de J. B. P. c. 1. n. 15.* existimat, ter Deum hujusmodi jus tulisse, primò post orbem mox conditum, deinde post diluvium, & denique post Christi ἐνοσίχωνον: eumq; sequitur Conringius *Disp. de Legib. tb. 19.* sed postremum hoc cum valde sit dubium, neque nostratibus Theologis approbarum, sententiam illam in medio relictam Theologis porrò examinandam committimus. Præter hoc Universale Jus Divinum Arbitrarium est etiam aliud Speciale, quo populum Hebræum peculiariter sibi Deus obligare voluit, variis legibus ac præceptis à Mose consignatis comprehensum. Cum enim Deus, pacto cum Abrahamo ejusq; posteris constituto, hunc populum sibi in peculium delegisset, atque ipse, antequam importunè Rex postulatus, & à Deo indignabundo pertinaci huic populo esset datus, τὸ κύριον Reip. Hebræorum sibi reservasset, unde ejus statum eleganter Josephus θεοκρατίαν appellat, variis legibus positivis



ordinem judiciorum, sacrorum & universæ illius Reip. constituit.

XXXII. Etsi vero hoc speciali Jure divino Arbitrario neque Christiani populi neque alii præcise obligentur, ejus tamen usus sive ad legislationem prudenter instituendam, sive ad dijudicandas actiones, justæ sint an injustæ, licitæ an illicitæ per se, est longè maximus. Nam primò certum est, quæ Deus disertè præcepit illo jure, aut vetuit, illa juri naturæ non repugnare; sequeretur enim aliàs hoc absurdum, Deum sibi suæque justitiæ contraria sanxisse, & voluisse, quæ ipsius Justitia non solum non vult, sed & damnat. Quando ergo Legislatores homines iis pœnis adficiunt delinquentes, quas delictis quibusdam Deus dictavit, certi esse possunt in conscientia, nihil se peccare. Neque in aliis similibus dissimiliter se res habet. Interim licet iisdem pro re nata, & adhibitis providè Prudentiæ Nomotheticæ præceptis, recedere ab hoc jure divino, & aliam atque aliam determinationem juris constituere; quandoquidem hoc jus sua natura est mutabile, ipsique Deo, si ita ei visum fuisset, licuisset pro suo arbitratu illud mutare. Nam in hoc jure locum habet illud Anaxarchi, Plutarcho *in vita Alexandri* memoratum, non ideo id Deum voluisse, quia justum est, sed justum esse, quia Deus voluerit.

XXXIII. Deinde quæ Deus permisit verè ac plenè, ejus generis quoque sunt, ut juri naturæ non sint adversa. Nam talia quæ sunt, neque contraria lege mutare, neque etiam permittere, hoc est, jus agendi tribuere Deus potest, in quo agens sine injuria impediri nequeat. Cum enim Permissio non unius sit generis, etiam non idem potest omnium permissorum esse effectus moralis. *Add. Grotius, de I. B. P. c. 1, n. 17.* De ejusmodi vero Permissione videtur alio



alio atque alio modo nobis constare posse. Vel enim cognoscitur Deus aliquid voluisse permittere directò, vel indirectò. Atque posterior hic modus item diverso contingere potest modo, approbando vel expressè, vel tacitè, vel facultatem aliter agendi subtrahendo, & non nisi unam supeditando. Quæ quidem exemplis illustriora reddi possent; à quibus tamen jam abstinemus, suoque loco ea reservabimus. Nam nonnulli prætextu pietatis parùm æqui harum rerum sunt censores, qui tamen Scyllam vitare studentes in Charybdim incidunt.

XXXIV. Jus Arbitrarium Humanum est omninò multiplex. Dispendendum illud primò est in Publicum, & Privatum. Utrumque potest considerari dupliciter, Subjectivè, atque Objectivè. Liceat enim his oculis res multum diversas ita distinguere. Utrumque suo loco pluribus explicabitur. Jus Humanum Publicum subjectivè consideratum illud dicimus, quod publica autoritate in civitatis usum à Legislatore constituitur, & vulgò Jus Civile dici consuevit. Jus Arbitrarium Humanum Privatum est, quod vel legibus privatis, vel pactis constituitur. Quod legibus privatis constituitur, est Jus Domesticum & Vicinum, in subsidium Juris naturalis à Patrefamilias, qui Domui vel Vico regundo præest, in usum Domus vel Vici adscitum, familiam aut Vicinos suos sibi eo obligans. Appositè hac de re loquitur Aristoteles 10. *Nicom. ult. §. 44.* hunc in modum: *Quemadmodum in civitatibus leges & instituta valent; ita in privatis domibus iussa & instituta (πατρικοί λόγοι, καὶ τὰ ἕθη: ubi rectiùs legit Paraphrastes græcus ἕθη) paterna: & quidem magis valent, cum propter cognationem, tum ob varia in liberos collata beneficia.* Jus Arbitrarium Privatum, quod Pactis innititur, vel est hominum  
pri-



privatorum, vel Rerumpublicarum, quarum cum quæque sit *διόνου*, non Legibus illæ propriè & κατ' ἐξοχήν dictis, sed more privatorum pactisse mutuò obstringere consueverunt. Atque hoc posterius Jus Gentium dicimus.

XXXV. Antequam hanc telam abrumpamus, at-  
texenda quædam sunt de Jure Publico humano, objecti-  
vè considerato. In qualibet Civitate duùm generum Le-  
ges arbitrariæ præcipuè cernuntur, quarum aliæ civium  
vel subditorum privatis actionibus, negotiis, commer-  
ciis, successionibus: aliæ ipsius Reip. causis rebusq; publi-  
cis, veluti Magistratibus cum togatis tum sagatis, legibus  
ferendis, bello gerendo, paci constituendæ, fœderibus  
ineundis, legationibus, importandis exportandisve mer-  
cibus, rei monetariæ, tributis & vectigalibus, custodia  
regionis, sacris & ceremoniis: aut Judiciis, iisq; itidem  
diversi generis, normam præscribunt. Etsi vero prioris  
generis leges etiam pertineant suo modo ad Rempubli-  
cam, fit tamen illud mediatè, & per consequentiam,  
quatenus ex commodis vel incommodis civium privatis  
aliquod in ipsam Remp. commodum vel incommodum  
redundare potest. Posterioris vero generis Leges dire-  
ctò, principaliter & immediatè Rempublicam ejusq; cau-  
sas publicas ordinant, sic ut Legislator ad constitutionem  
& conservationem Reipublicæ, illarum dispositionem in-  
tentione & executione referat.

XXXVI. Cum igitur Jus Arbitrarium omne τὸ συ-  
φέρον, *Utile*, sibi propositum habeat, atque aliquid in Civi-  
tate vel privatim subditis, vel ipsi Reipublicæ publicè *Utile*  
esse queat, l. 1. §. 2. ff. de J. & J. utrique Utilitati Leges po-  
sitivæ accommodandæ sunt. Et quamvis non sit nulla dif-  
ferentia earum Legum positivarum, quæ à diversis Rebus p.  
lata



latæ normam dant privatis actionibus; in Jure publico tamen constituendo diversarum Rerump. Leges non minus discrepant. Cum enim Jus Publicum ab arbitrio eorum, qui Reip. præsumt, proficiscatur, & quæque Gens vel Civitas distincta Reip. forma & facie utatur, etiam illarum quælibet proprio ferè & distincto Jure Publico utitur, sic ut qua parte hæc ab alterius Civitatis Jure publico differt, non solum ab eo sit diversum, sed sæpe illi adversum. Tantum vero abest, ut Legislatores eo nomine temere sint reprehendendi, ut potius Prudentiæ Nomotheticæ titulo sint condecorandi, quæ hujusmodi diversa placita sæpe dictat & commendat. Neque solum Juris sive Publici sive Privati diversitas in diversis Civitatibus, sed in una eademque Civitate sæpe & evidenter deprehenditur. Dum enim aliud alio utilius publicè aut privatim pro diversitate temporum aliarumve circumstantiarum videtur, subinde alia atque alia circa publicas privatasque res Legum accidit mutatio, unde aliud atque aliud Jus Publicum Privatumque nascitur. Exemplo nobis sit Respublica Romana, qua nulla alia vel plures, vel meliores (Hebræam semper hætenus excipio) leges tulit. Quàm varium, quæso, jus privatum ab illa fuit conditum, & subinde mutatum circa successiones privatorum, sive ex testamento, sive ab intestato? Quis reprehendere ausit judicium Francisci Balduini in extremo Justiniani sui pag. 560, etiam laudatum Conrado Rittershusio ad Nov. 118. p. 377? *Si qua est, inquit, nova constitutio, quæ multas priores leges abroget, quæ subtilissima juris mysteria pessumdet, perturbet, evertat: quæ Jurisprudentiam multis ambagibus inanibusque circuitibus liberet: quæ multos ejus nodos non tam dissolvat, quàm fecerit: denique quæ una veluti litura multas Pandectarum paginas deleat; banc*  
E certè



certè (de Novella 118. loquitur) *agnosco & aperte confiteor.* Nec minorem mutationem ac varietatem recepit Jus Publicum Romanum, quandoquidem ipsa illa Respublica diversissima facie, modò formosa, modò deformis apparuit. Inspiciat quis diligentius Titulum *Dig. de Origine Juris*, cum eo alios Digestorum Codicisque Titulos, integrosque hujus Libros conferat, & creberrimè Jus Publicum Ro. mutasse facillimè deprehendet. Ut sanè justa indignatione commotus celeberrimus Conringius non uno loco in illos invehatur, qui Jus Publicum Romanum tantum non omne nimis importunè nimisque imprudenter Reipublicæ nostræ Imperii Germanici obtrudere satagunt, parùm pensantes, verum illius & germanum Jus Publicum hinc summum detrimentum capere posse, & non semel cepisse. Quemadmodum enim veteres Icti, sive prisca ævi memoria & dulcedine illecti, sive populo Ro. imposituri, ea sæpe illi tribuunt, quæ constituta pridem Monarchia, revera non nisi Cæsaribus competebant, veluti Legislationem, *l. 32. ff. de legg. Majestatem, l. 1. §. 1. ff. ad Jul. majest.* Ita in contraria studia currere videntur, qui jura Cæsarum Romanorum veterum, & nostratum, una eademque decem-peda metiuntur. Itaque apprimè diligenter in condendo omni Jure Arbitrario, præcipuè tamen Publico, notandum est Aristotelis præceptum, *lib. 4. Polit. cap. 1. p. m. 220.* Πρὸς τὰς πολιτείας τὰς νόμους δεῖ τίθεσθαι, καὶ τίθενται πάντες, ἀλλ' ἢ τὰς πολιτείας πρὸς τὰς νόμους: *Leges oportet Rebus publicis accommodare: atque ita omnes prudentes Legislatores suas leges condunt. Non vero Respublica Legibus sunt accommodanda.*

XXXVII. Cum vero periculum sit, nequis mihi dicam scribat, quod Jus omne Publicum, Arbitrarium esse pronuntiaverim; alii vero saltem aliquam ejus partem.

Juri



Juri Naturæ accenseant, hac de re etiam plenius erit dissendendum. Cum JCtus l. 1. §. 2. ff. de Just. & Jur. ita locutus fuisset: *Privatum Jus tripartitum est; collectum etenim est ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus:* atque hoc ita repetiisset Justinianus §. 4. Inst. de 1. & 1. reprehendit illum hoc nomine Rudolphus Agricola lib. 2. de invent. dial. ac si Imperator aut JCtus hoc ipso negasset, Jus Publicum ex iisdem præceptis collectum esse. Hinc post Alciatum 1. parerg. 31. excitatus Mynsingerus contendit, Jus Publicum tantum esse ex præceptis civilibus. Hos licet doctissimi quidam JCti recentiores sequantur; plures tamen illos deserunt, quos inter etiam est Bachov. ad l. 1. §. 2. ff. d. t. & Vinn. ad §. 4. Inst. eod. n. 4.

XXXVIII. Hæc ut rectius intelligantur, primo notandum est, JCtum, cujus verba deinceps in Institutiones translata sunt, describere Jus Publicum non in thesi, sed in hypothesis, hoc est, non describere nobis Jus Publicum absolute & in genere consideratum, sed Jus Publicum Romanum. Unde illud definit: *Quod statum rei Romana spectat.* Deinde & hoc notandum est, quando JCtus Jus Privatum collectum esse dicit ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus; per Jus privatum illum intelligere plurimarum legum, de rebus privatis disponentium, congeriem, in qua etiam Leges quædam naturales deprehendantur. Si pari sensu de Jure Publico Romano quæras, an & illud sit collectum partim ex præceptis naturalibus: & tu intelligas per Jus Publicum item leges omnes, quas circa publicas res Romani tulerunt, aut descriperunt, quasque systemate Juris Romani congestas habemus, non difficile in iis vestigia juris etiam Naturalis occurrere, quæ tamen ad Jus Publicum Ro. proprie non pertineant. Quan-



do enim v. g. libro 1. Dig. Titulus inscribitur *de officio Proconsulis & Legati*, is utique ad Jus Publicum Ro. pertinuit. Ubi vero l. 9. §. 3. ff. *de off. procons.* huic Magistratui injungitur, ut obsequium parentibus à liberis exhiberi jubeat, hoc certè ex Jure Naturali jam tum Proconsuli notum esse potuit. Par est ratio illius præcepti, quo monetur, ne quem per adversarii sui potentiam opprimi patiatur. *d. l. 9. §. 5. eod.* Ubi *de Officio Præsidis* agitur, etiam Juris Naturalis præcepta inculcantur, putà, Ne potentiores viri humiliores injuriis adficient: Ne quis calumniosis criminibus insectetur innocentes: Ne innocentibus pœnæ irrogentur. *l. 6. §. 2. & 4. ff. de off. præf.* Ut, prout quisque deliquerit, incum animadvertatur *l. 13. ff. eod.*

XXXIX. Redeamus ad Jus Publicum in thesi spectandum, ceu illud descripsimus th. 35. sub finem. Et expendamus porrò, hoccine à Natura ortum suum & obligationem, & quidem vel omnino, vel ex parte habeat, nec ne. Qui Jus Publicum à Natura ejusque Jure derivant, ita solent loqui, quod Ius Naturæ sit principium Juris Publici. Procul dubio illi loquuntur de Principio aliquid constituyente. Si ergo Ius Publicum fortè à Legislatore accommodatur fini naturali, vel ut quàm proximè ab illo abeat; ea propter Ius Naturæ non est principium constituens Ius Publicum, sed ipse Legislator. Aut si non hoc modo id velint intellectum, sed potius tali, Ius Publicum esse totum aliquid, ad quod constituendum concurrat Ius Naturæ; prior tunc disputatio redit, iterumque nego, illud, qua est tale, à Iure Naturæ proficisci.

XL. Etsi enim Natura Hominem condiderit animal Sociale, atque etiam (quod aliàs demonstravimus) Civile, vivendique regulas illi præscripserit; non tamen his solis, sed



sed insuper suis arbitrariis homines utuntur, Naturales illæ leges sunt communes omnibus hominibus, in quacunque societate illi vixerint; unde eleganter Lucanus Jus Naturæ appellat *Jus Mundi*:

*Sed neque Jus Mundi valuit, neque fœdera sancta Gentibus.*

Arbitrariæ vero sunt propriæ, quatenus per illarum observantiam obtineri queat illud *συμφέρον*, *Utile*, quod quisque Legislatores sibi suæque Reip. peculiariter propositum habet. Jus Publicum accommodatum, &, ut ita loquar, appropriatum est statui & formæ cujusque Reipublicæ. An vero Civitas Monarchicè, Aristocraticè vel Politicè gubernetur, non instituit aut imperavit Natura, sed arbitrio & prudentiæ hominum commisit. Naturalium legum autoritas in Societatibus obtinet, etiamsi Republica non sint ordinatæ. Jus Publicum tantum obtinet in Rebus publicis, iisque diversis diversum attemperatur. Jus Naturæ præcipuam conficit partem Legis Dei æternæ; quamvis illud demum cum ortu generis humani promulgari, & obligare cum effectu cœperit: At Jus Publicum demum natum fuit, postquam certis Rebus publicis civitates informare placuit. Jus Naturæ Providentiam divinam, Jus Publicum, extra Remp. Hebræam, non nisi homines habet autores. Istud est Immutabile; hoc quàm maximè mutationibus obnoxium. Istud *Jus Mundi* obligat omnes homines, quæ sunt tales, sociali & rationali natura præditi: hoc tantum illos, qui sub certo Reip. regimine constituti cives vel subditi actiones suas Legibus, publicis rebus causisque normam dantibus, conformare jubentur: itaque istud commune universo generi humano, hoc Rebus publicis proprium est. Superiora egregiè confirmat Cl. Bœclerus, nuper heu fato functus! Ita enim ille disserit *in comment. ad Grot. lib. 1, cap. 3. §. 6. p. 199.*



*Imperium Dei continet totum mundum, quod exsequitur Deus, cum aliis modis, tum constituto illo ordine imperandi & parendi, quo uterentur, quicumque legem Dei de societate colenda agnoscerent. Id demum meri facti est humani, an summam potestatem velint uni committere, an pluribus, & quibus seorsim modis describere statum Reipublicæ instituunt. Mox ita pergit p. 202. Hac potestas, hoc jus (τὸ νόμιον) non mutat naturam suam, sive in unum conferatur, sive apud plures resideat. Ut Civitati insit, tam est naturale, quam naturale est, ut anima insit corpori ad constituendum hominem. Ut autem uni, pluribusque permittatur, ad naturam Civitatis nihil, ad usum temporis, & commodam nationum plurimum interest. Et paulò post p. 204. Ut esset in omni humana societate imperium id est, ordo imperandi & parendi, adeoque potestas civilis, à Deo & Lege Naturæ est. Quis aut quomodo eam invaderet, ab illo cœtu ad hunc transferret, aliter atque aliter exerceret, facti humani est, sæpissime à jure alieni. Neque alienam ab his sententiam videtur profiteri Conringius, quando *Disp. de Subjectione & Imperio* tb. 82. ita loquitur: *Humana instituta contemplanti magna diversitas imperiorum civilium objicitur. Alibi enim Majestas omnis penes populum est, alibi penes paucos, alibi penes unum, interdum & divisa est illa multis modis interque varios distributa.* Si igitur hoc omne ab instituto humano aptum est, non ex obligatione aliqua Juris Naturalis certas Rerumpublicarum formas & species constitutas esse apparet.*

XLI. Cum igitur cuique Reip. suum sit peculiare Ius Publicum, Ius autem Naturæ non sit nisi unum idemque apud omnes homines & Civitates; facile apparet, toto genere hæc Iura distare, & istud Arbitrarii Juris speciem omnino esse. Etsi ergo Leges vel Romanæ vel alius Reip. quibus Ius Publicum continetur, ita proponantur, ut illis  
quæ-



quædam propositiones seu Leges naturales misceantur; non tamen existimandum est, Ius Publicum ideo ex Naturæ dictatu partim proficisci. Planè Obligationem Iuris Publici Humani quod attinet, illi fundamentum substravit Providentia divina: at hoc non huic solùm, sed omnibus & singulis Iuris Arbitrarii speciebus accidit. Quippe privata obligationes, quæ pactis, contractibus & similibus conventionibus constituuntur, hoc Iuris naturalis præcepto, Fides data est servanda, sustententur. Publicarum vero Legum autoritas hoc Iuris Naturalis fundamento nititur, quod justè imperantibus obedientia sit præstanda. Et si ergo Ius Naturæ vim addat obligationi Iuris Publici, eamque obligationem suo fulcro sustineat; non tamen Natura ejus autor vel principium hinc dici debet; non magis, quàm empti à me fundi Geroniani vel Botriani pro centum aureis, etiamsi fidem contractus illud servari jubeat. Dixi enim suprà, varia esse negotia humana, quæ Ius Naturæ sua obligatione non comprehenderit, sed inter *à dià. Quæ* reliquerit: cujus generis sunt omnia illa, quæ à Iure Publico propriè dicto determinantur. Si igitur Legislatores circa hæc publica negotia legem condant, hujus quidem obligationem à Legislatore introductam adjuvat & suffulcit Ius Naturæ, non vero ipsa illam introducit, neque etiam abolet, quod item à Legislatore pro re nata fieri potest.

XLII. Quod si istiusmodi actiones, causas vel negotia publica materialiter considerata præsupponas, circa quas & lex naturalis, & insuper Ius publicum suam auctoritatem exerat, sic ut ex utroque hoc jure obligatio conjungi circa unam eandemque causam publicam videatur; ne sic quidem Iuris Publici principium erit Ius Naturæ. Quippe hoc casu negotium illud, cui normam dat Ius naturæ,  
non



non est publicum, sed commune pluribus vel omnibus societatibus, adeoque hactenus non ex Iure Publico, quod cuique Reip. proprium est, sed ex Iure naturali, communi omnibus societatibus, obligationem jam ab æterno accepit ex Lege Dei æterna. Quatenus vero Legislatoꝝ huic obligationi specialem obligationem superinducit, quæ ratione ejusdem negotii observari debeat in sua Republica, hæc Publici & ad propriam Rempublicam pertinentis Juris positivi quædam obligatio est; sicut licet simile jus in alia Rep. & quidem circa idem negotium obtineat, non tamen Jura aliquo Publico communi Naturali, sed arbitrario proprio cujusque Reip. subditi obligantur. Exemplo rem illustrabo. Exactio tributorum pertinet ad Jus publicum. Circa hoc negotium videtur concurrere & Jus Naturæ & quoque Jus Publicum Reip. proprium. Istud vult, ut in exigendis tributis æqualitas geometrica observetur: Hoc fortè instituit, quibus mediis, quorum opera vel ministerio, quibus item modis illa æqualitas quàm commodissimè haberi possit, puta si tributa pendantur ratione agrorum, commerciorum, ædium, focorum, aut per capitationem, eamque vel pecudum tantùm, vel etiam hominum. Harum ergo rerum determinatio verè Juris publici est, non item ista Juris Naturalis obligatio, ut quæ in omnibus societatibus, etiam privatis & simplicioribus locum habet, quamque Jus Publicum pro hypothese & fine jam constitutam habuit. Jam antehac vero monui, non ea omnia, quæ fini naturali inserviunt, & ipsa esse Juris naturalis; sic enim omnia Jura Arbitraria bene sancita in aliam planè naturam degenerarent.

XLIII. Quod si in istis, Jure tamen Naturali in genere quandam Rebus publicis Juris publici formulam præscriptam



ptam esse; scire a vero quænam illa sit. Nam Monarchicum, Aristocraticum an Politicum imperium homines elegerint, neque jubet neque vetat Natura, modò ne fini à se præstituto obluententur. Si ergo Natura neque Monarchiæ, neque Aristocratix, neque Politix, quatenus hæ sunt formæ tales, consilio hominum constitutæ, Publici Juris formulam præscripsit, quæ ergo tandem illa erit? Nihil certè superesse videtur, nisi ut dicatur, Naturam exigere, ut ordine, qui fini naturali conveniat, Respublicæ regantur, quò in iis obtineat verum τὸ εὐδαιμονεῖν. Sed respondeo, talem ordinem non in solis Rebus publicis, sed quibuslibet societatibus exigi: atque sic dicendum fuerit, his quoque suum Jus Publicum, idque à Natura præscriptum esse. Quod, ni fallor, ineptum est, & usui loquendi ipsique veritati contrarium.

XLIV. Denique nec hoc negligendum est, quod omnes, qui benè sentiunt, inculcare solent, adeoque nec hoc diffitebuntur illi, contra quos jam hic disputamus, putà Juris Publici disciplinam cum Politica minimè confundi, sed tanquam multùm diversas distingui invicem debere. Jam vero præcepta vivendi generalia maximèque universalialia quod attinet, illa omnia sunt Politici argumenti; modò quis πολιτικῆς vocem tam generaliter mecum accipiat, atque fecit Aristoteles. Vel ergo necessum est ut hæc à Jure Publico segreges, vel, hoc si nolis, ut quamvis invitus diversas disciplinas misceas, & Jurisprudentiam item Universalem cum Jurisprudentia Publica, in usum Rerump. à Legislatoribus peculiariter introducta, perniciose confundas.

XLV. Expendamus, quæso, exempla, quibus dissentientes subnixa suam opinionem defendere conantur.

F

Deum



Deum esse colendum, Iuris naturalis præceptum esse, rectè statuunt. Sed & curam religionis ad Ius publicum pertinere ajunt. Nec id malè, modò satis bene res illa omnino intelligatur. Quatenus enim obligatio omnis juris arbitrarii, & autoritas imperantium, nititur & stabilitur his cum primis principiis Iuris naturalibus, esse Deum, esse Dei providentiam, quæ præmiis bene facta, pœnis male facta adficiat, & animam esse vel ideo immortalem; hætenus quidem Natura obligationem Iuris omnis arbitrarii, atque sic etiam Publici, confirmat & corroborat: hinc vero Iurium horum toto genere diversorum non fit permutatio aut permistio, ceu jam supra demonstravi. Etsi etiam ad felicitatem civilem eximiè proficit, ut subditis atque ipsis etiam imperantibus vera de religione & cultu divino impressa sit sententia, ac reverentia; non tamen ad Ius Publicum videtur hoc præcise spectare, Deusne sit colendus, nec ne. De eo enim qui dubitant, non demonstrationibus convincendos, sed pœnis coërcendos esse ait Aristoteles in *Topicis*. Deum enim colendum, hoc est summo amore summoque honore adficiendum esse, præceptum est omnibus societatibus commune, non alicui Reip. proprium. Imò si Hominem non sociale sed solitarium animal, rationale tamen, fingas, non finit Ratio illi ignotam esse hujus præcepti notitiam. Alia igitur ratione ad Ius Publicum cura religionis & cultus divini pertinet, putà quæ sacra, qui ritus & ceremoniæ debeant institui, præter ea fortè, quæ jam legibus divinis sunt constituta. Quonam ministerio cultus divinus debeat peragi, quis illorum debeat esse ordo, quodnam in his omnibus obtinere regimen: de quo argumento omni exactius scripserunt Grotius, Conringius, Gulielmus Apollonius de *Jure Majestatis seu Potestatis*



*Potestatis civilis circa sacra.* Quod etiam pertinet *Petri de Marca* Archiepiscopi Tholosani in *signe Opus de Concordia Sacerdotii & Imperii: nec non Nicolai Vedelii Constantini M. Episcopatus.* Cautius sane hac in re videtur versatus *Ulpianus.* Neque enim is, Deum colendum esse, retulit ad *Jus Publicum;* sed consistere illud ait in *Sacris, Sacerdotibus & Magistratibus. l. 1 §. 2. ff. de I. & I.* Meminerat ille ex *instituto & placito Romanorum* in illorum *Rep. sacra,* vel esse *publica,* vel *privata,* multiplices *ferias, victimas, supplicationes, auguria, auspicia,* atq; hæc non solum opera plurimarum *religiosarum personarum administrari,* sed & in istos *usus, & harum sustentationem opes & patrimonia solita fuisse dedicari.* Quæ uti *Iure publico sacro* etiam in aliis *Rebusp. constitui* sueverunt, ita omnia *arbitrio Legislatorum obnoxia* sunt, nisi fortè quædam *Deus ipse occupaverit,* suoque *Iure positivo ordinaverit.*

XLVI. Præterea ad *Ius Publicum Ulpianus & alii Magistratus referunt,* atque hætenus etiam concurrere *Ius Naturæ cum Iure Publico contendunt.* Iam supra largitus sum, fieri posse, ut & *Ius Naturæ & quoque Arbitrarium circa eandem quodammodo materiam seu negotium sit occupatum,* & utrumque sua obligatione illud determinet. Suâ utrumque, inquam. Nam etsi circa idem negotium utrumque sit occupatum; non tamen eodem prorsus modo id fit, adeoque non simpliciter circa eandem materiam erunt diversissima hæc jura occupata, & ex utroque *Iure propria & diversa nascitur obligatio.* Natura igitur cum *Hominem condiderit animal sociale, & civile, Societates verò, & imprimis Civitates, consistere nequeant absque Ordine,* instituit simul *Ordinem imperantium & parentium,* atque hoc *jure suo hætenus illas conjungere &*



conservare voluit. Quinam vero imperare debeant, speci-  
ciatim non expressit: multò minùs quomodo, ad quæ ne-  
gotia sigillatim eligi, quamdiu hoc munere fungi debeant,  
præcepit, sed illa omnia arbitrio Legislatorum commisit,  
ut illi etiam hanc Iuris Publici partem pro conditione, usu,  
necessitate & fine cujuslibet Reipublicæ, sibi suæque pru-  
dentia nomotheticæ commendatam haberent. Funda-  
menta igitur Ius Naturæ quædam communia seu universa-  
lia Iuri Arbitrario subjicit, & istius irrefragabilis autoritas  
hujus autoritatem sustinet; utrumque tamen est diversum  
multis modis, ut quidem conspirare, & amicè in societa-  
tibus, atque etiam Rebus publicis, conjungi velint, Hippo-  
centauri vero aut Geryonis tergemini monstrosam for-  
mam induere nolint.

XLVII. Quamvis autem *Jus illud Mundi, Jus Univer-  
sale, sive Jus Naturale*, cum Iure Arbitrario in societatibus,  
& præprimis Civitatibus, constituendis, regendis & con-  
servandis jungatur, & quoque Legislatores in descri-  
ptione Legum suarum, quibus etiam publicas res causasq;  
ordinant, multas intexere soleant leges naturales, ut ha-  
rum rationibus & argumentis usi arbitrariis suis tantò ma-  
jorem autoritatem & observantiam concilient; si tamen,  
inter se hæ contendantur, diversissimi generis, multum-  
que discrepantis originis & naturæ illas esse deprehendes.  
In quibus accuratè discernendis magnum fit operæ preti-  
um, tantò magis æstimandum, quò illa opera sit futura  
difficilior. Neque enim quisquam sibi persuadeat, in pro-  
clivi esse paulùm intelligentiori, ut Iura arbitraria à Natu-  
ralib; probè secernat, cum hunc laborem tanquam gravis-  
simum & periculosissimum tentarint atque attigerint mul-  
ti, perfecit feliciter, quod sciam, nemo.

XLVIII.



XLVIII. Exemplum quis capiat ex Legibus Reip. Hebræorum, quæ partim Naturalia, partim Arbitraria, eaque cum ad alias res, tum Judicia in primis & Ceremonias pertinentia Jura, exhibent. Et quamvis Decalogo non nisi Moralia ut appellant, seu Naturalia præcepta contineri multi acriter contendunt, notum tamen est, quid his ratione Tertii Præcepti de Sabbatho colendo ab aliis objici so-  
leat. Litem hanc non faciam meam; ut tamen indicare mihi liceat Hebræos veteres hoc præceptum sibi proprium & peculiare fecisse, sic ut alias ad gentes illud, quæ præceptum est, non attinere planè denegent, & Sabbathum, velut Gentis suæ sponsam, sibi velint esse proprium: uti Seldenus loquitur, qui hac de re legi poterit in Opere *de I. N. & G. jux. disc. Ebraor. lib. 3. cap. 10.* In quam diversas etiam sententias, hoc præceptum de Sabbatho, eique surrogata die Dominica, quod concernit, discesserint cum veteres, tum recentiores Christiani, nemo nescit. Memorabile certè est, quod in Augustana Confessione *tit. ult. de Potestate Ecclesiastica* legitur: *Qui judicant, Ecclesia autoritate pro Sabbatho institutam esse diei Dominici observationem, tanquam necessariam, longè errant.* Circa Præceptum de Non concupiscendo fortè etiam cuiquam scrupulus moveri possit. Ita enim inquit Apostolus *ad Rom. 7. v. 7. Concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.* Si enim cum nonnullis hoc ita interpreteris, ac si ille hæc de se adulto fuerit factus, & ostendere voluerit, quanta olim cœcitate ante conversionem in Pharisaismo laboraverit, sic ut tunc minimè intellexerit, quanta sit Legis *ἀνεπίβεια* & perfectio; colligi etiam hinc quodammodo posset, quam ægrè liceat adsequi, hæc illave præcepta Juris non Arbitrarii, sed Naturalis esse capita, adeoque in retam difficili  
F 3 quàm



quàm facilis sit lapsus. Rectius tamen illum textum nostrates Theologi accipiunt, & Apostolum loqui ajunt, de innata nobis sive congenita illa ad pravitatem inclinatione, quam peccatum esse omnes nisi ex lege Dei constaret, nesciremus. Verba sunt Calixti in ep. ad Rom. d. cap. 7. v. 7. Eandem sententiam sive explicationem tuentur Gerhardus de peccat. actualib. cap. 10. n. 41. & de Lege Dei n. 40. Et Dn. D. Cass. Mauris. Exercit. Antisocin. 3. tb. 2. §. 12. p. 342.

XLIX. Audiamus eruditè hac de re differentem Seldenum laudati Operis lib. 1. cap. 3. cujus hæc verba Adpendicis loco adjiciemus: *Fieri sanè nequivit, quin Jura seu Officia Universalia ac Naturalia in Corpore illo Mosaico, inter Civilia illa, atque Ritualia scriptis mandata non aliter ferme latuerit, quàm aurum purum in corona illa Diis dovenda, quam ex solùm auro puro locarat faciendam Hiero. Historia notissima est. Fuisse certè in ea aurum, argentum etiam fuisse, non omnino dubitabatur. At quantum auri, quantumque argenti ab artifice simul commistum esset, res erat perquam difficilis dignoscere. Ea quidem res summo Archimedis ingenio tandem est deprehensa, Hominis scilicet, qui ponderum, magnitudinum ac proportionum, id est, rerum, citra quas frustra de quantitate auri in corona, nisi denuo liquata fuisset, quaeserat quis, erat callentissimus: Absque Mathematico ejusmodi fuisset, tale est verisimilius tunc evenisse Syracusis, quale dudum Roma. Admissi monetæ argenteæ nimii eris accusabatur Monetarius. Is ab iis, qui rebus præerant, impetravit, ut duo constituti Judices seorsim causam attentius examinarent, sententiamque seorsim proferrent. Id ipsi juxta facere, atque eodem piè uterque ex eisdem actis causa, atque libellis cognitio, & confessione rei audita, sententiam quidem protulit; sed prorsus absolutoriam alter, alter eoque damnatoriam, ut plurima aureorum millia Reipublicæ, adulterate moneta nomine*



nomine à reo refundenda censeret, & tum bona ejus cætera fisco addicenda, tum capitale insuper infligendum supplicium. Ingens hic discrimen. Et à vero forsàn uterque, licet pariter diligentissimus, immane quantum recessit. Alterum, manifestò scimus. Atque aliis in rebus discernendis simile non raro accidit. Perplexarite extricare, Confusa invicem distinguere, Veri ac Falsi confinia, horumque sinuosos anfractus satis habere exploratos: & demum ex eis, quæ superstruuntur, de Fundamentis seu Principiis rectè conjicere, res est perquam ardua, penè inaccessa, & mortalium paucissimorum. Id quod in questione de Jure Naturali, ex Civili aliquo & simul Naturalis juris corpore secernendo, jam memorata imprimis etiam obtinet. Assumatur exemplum, sive ex Athenis, sive è Roma veteri: Tamhis, quàm illis fuere leges XII. Tabularum, aliæ. Atque ob populorum, qui eis usi sunt, singularem prudentiam, doctrinam, fortitudinem, ceterosque virtutum apices, maximi eas passim fecimus. Neque, quin Naturalia seu Universalia saltem aliquot jura intra earum cancellos designentur, solemus dubitare. At vero hæc ex illis secernere, atque ad amissim juxta autorum, atque eorum, qui illis usi sunt, mentem disterninata ob oculos studiosis ponere, id quidem plusquam Archimedeum est, nec facilius forsàn, quàm Ancile illud è caelo delapsum à cæteris, quæ Mamurii artificio adeò ei similia facta sunt, olim distinxisse, aut Ægyptiis singula cujusque, post Nili inundationem, jugera, ante Geometriæ inventionem, internovisse. Atque hæc quidem de hoc nobili argumento, aliis vix tacto, parùm certè exulto, dixisse sufficiat.

---

## COROLLARIA.

I. Quod Judex secundum acta & probata sententiam ferre debeat, neglecta sua conscientia, tantum abest, ut ex l. 6. §. 1. ff. de off. pres. ostendi possit, ut potius contrarium inde demonstrari queat.

II. Sa



II. Satisfactio speciatim dicta olim tantum Fidejussoribus præstatabatur. *l. i. ff. qui satisd. cog.* In illorum vero locum moribus jam etiam Pignora surrogata sunt. Quod tamen non esse perpetuum, rectè monet Busius *ad l. i. d. i.*

III. Et si maior culpa, criminalibus exceptis, regulariter dolo æquiparetur, *l. 32. ff. de pos.* Non tamen perinde ex tali Culpa atque ex Dolo quis fit infamis.

IV. Qui ante litem contestatam transigit, ne secum ageretur, videtur jure civili contrahere infamiam. *l. 6. §. 3. ff. his qui not. infam.* Contraria tamen sententia tanquam æquior praxi fuit admessa.

V. Bonæ fidei possessorem in judicio universali petitæ hæreditatis etiam teneri restituere fructus consumptos, quatenus hinc factus est locupletior, notum est ex *l. 25. §. 11. l. 40. §. 1. ff. de petit. hered.* Quod vero ad Praxin attinet, testis est Pinellus in *l. 2. C. de resc. vend. p. 2. c. 4. n. 60.* ita nunc ubique in judiciis ususervari, ut possessor bonæ fidei in universum à fructibus ante inchoatum judicium perceptis absolvatur, neque de consumptis unquam quærat, locupletior ex iis factus sit, nec ne.

VI. In judicio reali singulari bonæ fidei possessorem ad restitutionem fructuum consumptorum non teneri, etiamsi hinc locupletior sit factus, videre est ex *§. 35. Inst. de R. D. l. 4. §. 2. ff. fin. reg. §. l. 22. C. de rei vind.* Contrariam tamen sententiam praxi receptam esse testantur Carp. *p. 3. Const. 32. d. 28. Struv. th. 23. Habn. ad Wes. de rei vind. n. 7. Brun. qu. 17.*

VII. Et si emptio venditio sit perfecta, & res vendita emptori tradita, non tamen ideo dominium in illum translatum esse censendum est; nisi aut satis eo nomine factum, aut fides emptori habita. Absque his si fuerit, venditor vindicare in concursu creditorum rem venditam potest, sic ut omnibus emptoris creditoribus sit præferendus.

VIII. Suspendio ac officio differenda est, donec crimen impetum probetur. Quod etiam pertinet Sanctio Refor. Polit. Anni 1548 tit. Von Handwercks-Söhnen/ verbis: Es soll auch derjenige / so geschmähet worden / keinesweges aufgetrieben / sondern bey seinem Handwerck gelassen / und die Handwercks-Gesellen / mit und neben ihm zu arbeiten schuldig seyn / so lang bis die angezogene injurien und Schmach gegen ihm / wie sich gebühret / erörtert wird.





KD17









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



1673,1  
EM JURIDICAM  
DE  
BITRARIO

NERE, 8.  
M. A.

ESIDE  
CHELIO, J. U. D.

tium in Illustri Holsa-  
ademia P. P.  
publicè exhibet  
S von EZZEN/  
fatus,  
NDENS,  
6. Februar.  
orio Majori.



ONI,  
manni, Acad. Typogr.  
DC. LXXIII.  
S.

